

2
DE NEXV,
QUALIS CONSTET
INTER VTRVMQVE DIVINAE
CONSTITVTIONIS FOEDVS,
PROPHETICO.

AD
INSIGNEM ILLVM PETRI APOSTOLI
LOCVM I. EP. C. I. v. 10-12.
COMMENTATIO

QVAM
POST RECEPTOS
S. S. THEOLOGIAE HONORES
SVM MOS

A
SVPREMO THEOLOGORVM ORDINE
IVLIAM CAROLINAM HELMSTADIENSEM
TANTIS VIRORVM S. VEN. NOMINIBVS
EXORNANTE

D. XXI. MAII A. P. C. N. LAB. MDCCXCI
MODO SOLENNI AC LIBERALISSIMO
SIBI COLLATOS

GRATAE MEMORIAE ET OFFICII CAVSSA
CVM ORBE ERVDITO COMMVNICARE
PLACVIT

IOHANNI FRIDERICO KLEVKER
S. S. THEOLOGIAE DOCTORI ET ILL. GYM-
NASII EVANGEL. OSNABRVGENSIS
RECTORI.

HELMSTADII
EX OFFICINA S. D. LEVCKART.

DE SEXU

OVARIIS

INTER VITAM ET MORTEM
CONSTITUTIONIS FORDIS
PROPHETICO

AD
INSIGNEM ILLUM PETRI APOSTOLI
LOCUM ET C. V. 10-12
COMMENTATIO

OVAM

POST RECEPTOS

ET THEOLOGICAL HONORES
SVMMS

IN PRIMO THEOLOGORVM ORDINE
IULIAM CAROLINAM HEIMSTADENSEM
CANTIS VIRGINIS S. V. M. M. M. M.

EXORDIUM

DE VITAM ET MORTEM
SOLENNIA AD LIBERTATIS
SIVI COLLATIO

IN MEMORIAM ET
VIR ORDE EVANGELIO COMMENDARE

PLACIT

IOHANNI FRIDERICO HEIMSTADT
THEOLOGICAL HONORI ET
SIVI EVANGELIO GABRIELIS
PASTORI

HEIMSTADTII

EX OFFICINA S. P. B. B. B. B.

DE MEXICO
INTER VTRAMQUE DIVINAE
CONSTITUTIONIS FOEDUS
PROPHETICO.

DE NEXV,
QUALIS CONSTET
INTER VTRVMQVE DIVINAE
CONSTITVTIONIS FOEDVS,
PROPHETICO.

DE NEXV, QVALIS CONSTET
INTER VTRVMQVE DIVINAE
CONSTITVTIONIS FOE-
DVS, PROPHETICO.

Quod maioribus facile potuit esse, e col-
lectis vndique s. scripturae locis, tan-
quam materia aliqua diuinitus parata, insti-
tutiones theologicas condere, id ipsum
nobis aetate degentibus, vbi multum diuersae
rationes obtinent, non difficile solum, sed in
difficillimis positum, vtique videri debet.

Namque illis, quibus rata quasi erat sen-
tentia, *aequo diuinitatis iure habendum, quicquid*
sacris monumentis scriptis expressum vtcunqve
videtur, nec maius ad hoc erat, nec potius,
visum negotium, quam scriptorum sacrorum
proprias, quae viderentur, sententias ita
in ordinem redigi, vt certo quodam nexu sibi
inuicem iunctae viderentur, seruatis ad hoc
rationibus logicis, et, quam fidei dixere, ana-
logia.

logia. Temporum discrimina, et scriptorum etiam, teneri, hoc minus necessarium habebatur iis, quibus talis esset Θεοπνευστος lex atque ratio constituta, vnde facile colligeretur, Deum O. M., siue spiritum sanctum, qua principem s. scripturae auctorem, natura semper eundem, non nisi verissima quaeque omni omnino tempore, et qualicumque rerum conditione, docuisse, tradendumque voluisse.

Ita quidem illi sanctioris quicquid traditionis, omnemque scripturae materiam, ad perfectiones *Numinis inspirantis* aestimantes, hoc quasi iure suo, in condendis disciplinis theologicis, vti sunt.

At alio res versa, ex quo verior in multis, s. literas tractandi, ratio obtinuit. Quaecum a primis inde initiis suis eo vel maxime valeret, vt, quae ante nimium neglecta essent, ea accuratiori iam obseruatione tenerentur; et, vel sepositis illis, vel reprobatis omnino, priorum decretis, rationes scriptorum singulorum propriae, et rerum etiam discrimina, exactius compararentur: fieri non potuit, quin, quod illis satis obuium, in doctrinae alicuius mole adstruenda, fuisset, id iam multo operosius exquirendum esset, multo maioris studii, in eruenda ac definienda materia sacra, imponendi, largiorisque notitiarum cuiusque generis parandae copiae, necessitate admodum premente.

Neque

Neque tamen vetustiores illae de scripturae *diuinitate* et incomparabili eius *veritate*, modo rectius definita esset, statim abrogatae sunt sententiae. Quibus enim cultioris huius studii initia debentur, atque progressus, iis, constat, minime fuisse propositum, sua quidem opera efficiendi, ut diuinior scripturae auctoritas per se infringeretur. Ipsi enim non nisi meliorem rei sacrae intellectum, vsumque eius faciliorem, parare voluere: neutiquam censentes, diuinioris, quae sunt, scripturae argumenta, et hinc cognoscendae veritatis propria momenta, ad hominum arbitria opinantium aestimanda esse, et pro viso aut admittenda, aut respuenda.

Huc tamen delatos putes complures eorum, qui hodie vel vniuersae religionis vel sacratoris litteraturae causam paullo sagacius sibi videntur agere. Quod non adeo mirum. Saepius enim accidit hominibus, studio quocunque ductis, ut, quam semel ingressi fuerint viam, eam, quam possint, persequantur, et vel praecipites ferantur.

Iamque aperta semel laetiore interpretandi via, eaque longissime patente, non potuerit deesse, qui, quantum possent, procederent; et parata sibi lubentius sentiendi facultate vel immoderantius vterentur; ut adeo vniuersas scripturae rationes ingenio humano subiectas

statuerent, omni data opera, ne quid relictum videretur, quod per se ingenii modum excederet.

Vt igitur maioribus omnia constabant *fide*, ita *rationis* hodie principio quicquid tribuitur. Quod traditum diuinitus putetur, id non explorandum modo, excutiendumque, sed pro arbitrantis cuiusque viso aut admitendum, aut improbandum, statuunt. Tanto distant antiquorum illa, et haec recentiorum, rationes.

Re ita constituta, non mirum est, tantas de rebus grauissimis inter viros doctos iam obtinere discordias: vt quibus ne de ipsis quidem principiis, vnde omnia procedere debeant, satis conuentum videtur. Hinc et satis intelligitur, quam periculosum nostra aetate fuerit, vel in vlllo institutionum sacrarum aliquid tentasse genere.

Cuiusmodi tamen cum nulla fere aetas omnino carere possit, nec nostra adeo debeat; fieri autem eiusmodi nequeant, antequam conuentum fuerit de vltimis principiis, et rationibus iis, ad quas omnis videtur comparanda materia, et delectus argumentorum instituendus; nihil iam potius videtur, magisque optandum, quam, vt enixa virorum grauiorum et cultiorum studia eo contendant, vt primo de vltimorum, quae dixi, principiorum

et rationum potissimarum, veritate certius quid definiatur: *dein*, nouis identidem curis, singula rerum (quae sanctiori studio vel fundamento esse, vel argumento et praesidio possint,) genera in dies reddantur probatiora, cultioraque¹⁾.

A 3

Quae

1) Huius studii vtilitatem, imo necessitatem, is quidem fortius senserit, qui, quas adhuc pertulit disciplina theologica vicissitudines, paullo attentius, cum causis suis, studioque seriori reputauerit, mecumque persuasum habuerit, partes in hoc genere adeo contrarias, et maiora in dies diuortia facientes, si qua possint, vix alia posse conciliari via, quam qua manifestum fiat, nec *fidei* illud tanto laudatum prioribus (ab obiecto, quod dicunt, *reuelationis* desumptum) principium, nec *rationis* hoc, quod vnum hodie laudant, ita comparatum esse, vt in recognoscendis et definiendis rerum diuinarum momentis vnice possit pro fundamento esse. Hoc manifestum de *rebus in factis positis*, quarum veritas, cum temporum longe praeteritorum sunt, non nisi monumentorum, scriptorum maxime, *fide* tenetur. Vt, cum quaeritur, quae propria fuerit Seruatoris et Apostolorum doctrina, eaque quibus veritatis notis, quibus rationibus et argumentorum probationibus, de principio, sit patefacta: hoc non aliunde, quam externis *fidei* historicae documentis, intelligitur. Quae autem de absoluta illarum rationum et probationum veritate et, ad nostrum assensum, sufficientia, mouetur quaestio; eam, patet, vna mentis vi, et proprio rationis vsu, solui posse. Hinc semper mihi visum est, ext
ternum

Quae dicta sunt, ad vniuersam Theologiae (cuius verior ratio tanti valet,) pertinet tractationem; et inprimis ad grauissimam illam quaestionem, quae est de *nexus et consensus, inter utriusque foederis, quod dicitur, institutionem diuinam, veritate atque ratione.*

Nam si rite velimus de sanctioris doctrinae (quae, si principia eius et fundamenta spectes, non tam ingenii humani commentis, quam rebus diuinitus prouisis debetur,) veritate et ratione iudicare, ipsa, oportet, ad eadem comparetur res gestas, vnde, velut e feminibus suis, enata videtur. Quae cum sint vel V. vel N. T., haud leuioris momenti videtur, omni studio exquisiuisse, quatenam sit rerum illarum proprietas, quae fides, quae ratio, quae ad se inuicem comparatio; quo nexu eae vel inter se iunctae, quoue discrimine disiunctae.

Atqui haec talis opera *vel* vniuersam spectat religionis, quam profitemur, probationem, (qualem

ternum illud, quod rerum dicitur, veritatis fundamentum, probe distinguendum esse ab interno hoc, quod in facultate mentis, et assensione eius, positum videtur. Illud valet per se, quatenus propriis constat veritatis notis, ab assensu arbitrantium nec exortis demum, nec delendis: hoc autem necessario pertinet ad veri, quod adest, inquirendi, percipiendi et diiudicandi facultatem.

7

(qualem non tam eruditionis theologiae, quam humanitatis causa, decet institui:) *vel* ad demonstrationem pertinet tam vniuersi consensus, quam discriminis proprii, quod res intercedit vtriusque T. causam concernentes, (communi reuelationis nomine appellatas;) *vel* denique ad singulare examen potissimarum, quae huius causae sunt, quaestionum; vt, de habitu vaticiniorum de Messia ad Seruatorem (verum Christum,) et de ratione, quam habeat Seruatoris, et Apostolorum, institutio ad priora illa, prophetarum inprimis, oracula, et prouisa diuinitus, sacris V. T. voluminibus comprehensa.

Quae autem huius argumenti *dignitas* est, et, ad causam religionis diuinae penitus cognoscendam, *necessitas*, fecit, vt pluribus quidem aetatibus multum de hac re disceptaretur; saeculis praesertim a C. N. II. V, et hisce duobus vltimis ²).

A 4

Sed

2) Veterum Gnosticorum aliqui, eosque secuti Michaeli, respicientes acerrime, quicquid Iudaismum saperet, primi hanc litem mouerunt catholicis doctoribus, quasi *Legis* et *Euangelii*, quam dixerunt illi, *Concorporationem* instituentibus, nequaquam admittendam. Sed postquam superauerant partium Catholicarum defensores, suisque decretis suppresserant quoscunque scriptis V. T. sacris nimium infensos, ad recentiora usque tempora, de ipsa vtriusque institutionis diuinitate, deque certo aliquo nexu inter vtramque statuendo,

Sed non nisi nostro demum tempore ab iis, constat, viris doctioribus, quorum haec studia essent, plura, quae huc pertinent, accuratius exquisita esse, et aliqua non minori cum industria, quam modo nostri temporis rationibus accommodato, exposita. Neque tamen diffidendum erit, inter nouissime dicta et eiusmodi deprehendi, quae, ut parum considerate et paullo festinantius prolata, firmis certe destituta argumentis, haud adeo possint iudici, rerum utique perito, comprobari. Haec ipsa, igitur, qui voluerit aequo ac liberali animo iudicare, eum, par est, neque nimio nouitatis studio ferri, (ne maiorum vel bene dicta, vnam quasi ob vetustatis speciem, aspernanda putet;) neque etiam ita priorum placitis adhaerescere, ut antiquiori traditione velut induratus, ne possit quidem, etiam si vellet, meliora audire.

Enimuero, cum tres potissimum hanc causam vniuersim concernentes sententiae sint, de

statuendo, nihil dubitatum est. Reformatores vero quanquam, quod scripta ipsorum satis ostendant, minime vellent Iudaica cum Christianis confundi, tamen vtrumque s. scripturae genus proaeque diuino habuerunt. Post illos, saeculo superiori, inter foederalis doctrinae auctores, defensoresque, et his aduersantes partes, multum quidem diuque agitatum est non de veritate adeo, sed de ratione eius nexus, et momenti eiusdem rite definiendis.

de his, antequam ad institutum veniamus, breuibus adhuc dicendum videtur. *Vna* est eorum, qui in religione Abrahamidarum pariter ac Christianorum omnem diuinitatis causam, ac rationem, sublatam velint. *Ab his* descendunt, qui, quam veteri T. negant diuinitatem, eam Iesu Christi rationi tribuendam vtcunque censeant. *Sunt* porro alii vtrique institutioni sacrae causam et rationem diuinam subesse stantes.

Primam amplexi sententiam, sunt vel nudi *Deismi* quem dicunt, vel *Naturalismi* aut *Rationalismi*, defensores; vel ex eorum criticorum genere, qui in recognoscendis et diiudicandis rebus sacris, in facto positus, V. in primis T., ita versantur, vt ad principia legis pure naturalis, et spontis humanae, quicquid illarum est, studeant referre, indidemque deducere³⁾.

A 5

De

³⁾ Ita *Eichhornius*; inter viros nostra aetate celebratissimos, in *introductione*, quam dedit, in V. T. certe periculum facere et experiri voluit, qui, et quatenus, posset omnis rerum istarum copia ex hypothesei causarum mere naturalium explicari; siue ipse pro se huic sentiendi modo plus, quam sanctis vsque tum principiis theologicis, ad simplicem scripturae fidem et rationem ductis, tribuerit; siue eorum causa egerit, quibus communem, de diuina Numinis ad res humanas intercessione, sententiam tantae quantae esse offensionis

De illis non opus est dicere, cum, spreta omni veritatis historicae fide ac lege, nudis abstractionis philosophicae rationibus aut formulis ducantur, vnde velint dirimi, quae talibus subiecta esse nullatenus possunt. *Horum* autem ratio eo magis habenda videtur, quod si vera ea fuerint, et indubia, quibus insistant, principia, tota doctrinae sanctioris forma, et *σχεσις*, mutanda erit; nec locum ultra habebit istud, quod religioni christianae adhuc *proprium* videbatur, fundamentum diuinum. Id quod nemo non intelliget, qui vim rationum illarum recte perceperit, nec non rerum earum nexum, ad quas omnes aequae pertineant necesse est, si unicam de rebus sacris (iis, inquam, quae vt prouisae et effectae diuinitus traditae sunt,) iudicandi normam constituere debeant.

Atque

fioni vidisset. Et profecto plura eorum, quae in hunc finem tentauit, quoad speciem suam et conditionem externam, eiusmodi sunt, vt ad res non adeo fictitias, sed vere historicas, conformata et descripta videantur: eadem tamen, quantum perscrutabor, non *summam* causae veritatem, nec *rationem* potissimam definiunt. Alii vero viri, quem dixi, praeclarissimi studia et rationes lubentissime excipientes, longius eo processerunt, et ad eadem ratiocinandi principia, et placita, vel omnem N. T. materiam aestimatum et castigatam voluerunt.

Atque hi posteriores, tali studio ducti, quanquam non vnus sint placiti, aut arbitrii, cum de rebus singularibus quaeritur, sed tum vel maxime sentiendi ac decernendi modo diuersi; in eotamen conueniunt, vt diuiniora quaeque in *pure naturalia* et *humana*, transmutanda velint; adeo, vt, quae forma sua, et descriptionis modo, vniuersae naturae et arbitrii humani modum superare videantur, ea studeant intra terminos sensus communis, aut experientiae et potestatis naturalis, concludere. Haec quasi meta est, ad quam omnes illi, suo quisque modo, aequae contendunt.

Hinc aut tollunt omnino, (quod quidem facillimum videtur ex istis principiis simpliciter philosophantibus, deque fide historicae quaerentibus quidem;) aut aliorsum vertunt, quodcunque sacris in litteris de rerum in factu positarum diuina constitutione et effectione traditum est: caussae diuinitatem alienando, rerumque proprietatem infirmo, transmutando et inuertendo.

De nexu autem tam rerum, quae vtriusque sacrae institutionis propriae sunt, quam scriptorum sacrorum (inter quae ipsi haud negant perimagnam esse, quoad dicendi et sentiendi modum, similitudinem, imo maiorem cedant, quam ipsorum sit cum vllis exterarum gentium scriptis sacratibus,) hoc fere modo censent.

Quae

Quae scriptis Mofaicis ferantur consulta diuinitus ⁴⁾, ea pertinere aut ad prima philosophandi de rebus diuinis pericula ⁵⁾, aut fabulosa utique esse ⁶⁾, efficta quidem ad sensus religiosos, sed quales vel sponte nascantur in rudioris ac simplicioris ingenii hominibus ⁷⁾; partim etiam ad sequioris aetatis siue cultum ⁸⁾, siue

4) Tradita de singulari Dei circa res hominum primaeuorum cura; de colloquiis Dei cum hominibus; de Abrahamo et posteris promissis, caeteris.

5) Ita passim statuit *Eichhornius*, V. C., et recte quidem, qua formam rei et effectum spectes. Sed quid tantorum, (si neglectum fuerit, quod fert traditionis fides,) in rerum humanarum incunabilis, periculorum *causam* praebuerit atque materiem; et quae ratio proprietatis eorum, singularitatis atque discriminis ab aliis huiusmodi, de prisco mundo cognitis, fuerit, id minus idem indicauit, nec adeo explicauit.

6) *μῦθοι* appellat idem V. ill. *μῦθοι fabulae* sunt. Sed hoc vocabulo per se non docetur, quid veri in rebus istis fuerit, quid minus. Certe tradita ista archaeologica et argumento suo, et ratione fidei historicae, et sine, a Graecorum poetarum *μῦθοις* aequae diuersa sunt, atque a Francicorum et Italicorum narratiunculis, quas *Contes* et *Novelle* dicunt.

7) Sumitur hoc quidem, at parum probatur fide exemplorum, et minus adeo rationibus manifestis explicatur.

8) Volunt enim, qui viri modo laudati vestigiis insistant, pias Patriarcharum memorias, et verioris religionis documenta tam speciosa

sine fraudem⁹), exornata: destituta certe propria

ciosa, non ipsorum esse, quorum ferantur, sed eorum, qui seriori tempore (ubi religionis et humanitatis iam longius processisset studium, et maiora cepisset incrementa, quam primaeva simplicitas ac ruditas ferre potuisset,) ista confecerint, suosque ipsorum sensus antiquissimis hominibus tribuerint. Accidere hoc potuisse, negari nequit: sed nulla ratione, nec vilius documenti historici fide probata, cogitur, vere accidisse: certe non probatur factum propterea, quod ita sumitur.

⁹) *Piam* scilicet (non dolum malum,) ex placito eorum, qui documenta ista religionis et pietatis collecta utcumque aut comparata volunt, ut nimirum instrumentum fidei et exercitii religiosi adesset, quod vel ipsam Legis (cuius latio Deo tribuenda fuerit,) auctoritatem confirmaret, eique esset fundamento. At *dolo malo* tribuunt, quicumque sanctioris traditionis quicquid ex eo, quo ipsi nimium abundant, animi liuore criminantur, et, quod consilio vel optimo, vsuque salutari, paratum fuerit, id in pessimam trahunt partem. Enimuero ad tradita miraculosa quod attinet, in his nihil sapiunt iidem, nisi astuti figmenta ingenii, superstitionis hominum barbarorum animis imposita: cum contra, qui aequiori animo iudicant, omnia huiusmodi rudiori narrandi et concipiendi modo, aetatem heroicam mythicamque redolenti, tribuant. Hi prudentiam, consilium, et bonam mentem, agnoscunt laudantque, ubi illi non nisi dolos versutissimos, vafritiemque, respiciunt. Cf. *Eichhornii*, V. C., censuram *Relig. Fragmentor. Guelferb. in der Allgem. Bibl. der Bibl. Litt.* T. I. P. I. seqq.

pria veritatis, siue historicae siue philosophicae, ratione ¹⁰⁾).

Legis praecepta non quidem Numinis consilio, sed vni Mosis sagacitati ¹¹⁾, vel et translationi rerum exterarum vndecunque factae, tribuenda; iunctis insuper patrum antiquiorum traditis, eo sine illi collectis, et bene an male compositis, intellectisque ¹²⁾, vt hoc quasi instrumento

¹⁰⁾ Vt in quo iniquius pariter ac aequius iudicantes consonant. Nam vera esse non posse talia, *per se* volunt, adeoque simpliciter, et ex praeiudicato quasi, statuunt, minus ducti rationibus et documentis historicis, vnde auctoribus talium fidem abrogandam certo et manifesto constaret; quam nudis potius placitis et enunciatis, aut propositis philosophicis, quasi haec, in quaerendo de rebus in facto positis huiusmodi, per se manifesta essent et certissima. Nam quae adferunt exempla scriptis traditorum exterarum gentium, ea quantumvis specie similia videantur, ratione tamen et veritatis fide, aestimata, dissimillima deprehendantur.

¹¹⁾ Quam *Eichhornius*, V. C., laudat sagacitatem *Mosis*, bonum animum, prudentiam legislatariam, eam alii fraudulentiam criminantur, versutiamque Iudaicam. Sed nec sagacitas illa aut sustulit, aut superuacaneam fecit, sapientiae divinae *causam* pro tempore, et *proprietaem*. Stupidus enim nec humanarum rerum, nec diuinarum negotio par erit tractando: nec est, quod sapientiae potens Nomen hunc illi praetulerit.

¹²⁾ Vti sumitur potius coniecturis criticis, iisque magis minus speciosis, quam certo et manifestis

mento paratam sibi, et praesidio velut munitam, eam fidem redderet, quam viri diuiniore, pleni- que Numinis, habere apud gentiles suos de- buerit¹³).

Prophetas denuo (quibus tanta fuisset le- gislatoris beneficio conciliata auctoritas, vt in- terpretando eius praecepta et sagaciora elo- quia, et vel ipsi pro se oracula fundendo, fa- cile potuerint ad aetatis quisque suae vsum et necessitates vertere quicquid,) oratorum mu- niis

probetur. Dici non potest, quot quantisque iam hariolandi modis, numerisque, istorum archaeo- logiae sacrae documentorum fides, et critica et exegetica, tentata nostra aetate sit: cuiusmodi specimen admodum singulare, et mirum, nuper- rime editum est scriptiuncula, cui titulus: *Nyssa, oder philosophisch-historische Abhandlung über Gen. II. III.* (Eleutheropolis 1790.) *Vna est veritatis, fidelis historicae, iustaeque interpretatio- nis via, eaque simplex; infinitae autem, atque innumeratae, coniectio- num et opinatio- num utilium, ad quas delabantur necesse est deflecti semela recto tramite, vel falsitatis eo, ex praedudicato, vt plurimum, inculato, vel sus- pecto utcumque habito.*

13) Consilio satis bono, et recta mente, sic egisse iudicatur *Eichhornio*, V. P.; et, ni ipse per- suasum de se habuerit Numinis afflatum, (quod certe idem censet fieri quodammodo potuisse,) istam tamen, quam fecerit gentilibus, persuasio- nem, fidemque, in finem bonum vertisse. At contra alii sunt et hic non nisi dolos criminan- tes.

niis popularium ¹⁴⁾, censorumque publicorum, fungentes omnem dedisse operam, vt adhortando, monendo, tristitia prosperaue praesignificando, prout quidem ipsi, data occasione, suspicati essent, cuncta ad legislatoris consilium, aut praescriptum, versarent.

Iamque ita legis constitutae fundamento fidos, suoque simul, quo essent instructi, vfos priuilegio, talem hinc inde, velut Numine plenos, praefagiendi spiritum concepisse, qualem par sit in quouis viro bono, publicae salutis vindicante, sponte exoriri. Orationi vaticinae materiam legis chartas praestitisse, formam autem, suam cuiusque indolem ingenii et sagacitatem, simulque animi istud, quod *Iehouae spiritum dixerint, oestrum* ¹⁵⁾.

E

¹⁴⁾ *Demagogos* appellat E., modo hoc vocabulo de rei proprietate, et veritate, quid definiretur. Longe aliam Prophetarum inter Israelitas fuisse rationem, cossamque, et ortum, quam apud Graecos *δημαγωγων*, dubitari nequit. Alibi hanc rem tractaui, delineauit certe. *Neue Prüfung und Erklärung der vorzüglichsten Beweise für die Wahrheit und den göttlichen Ursprung des Christenthums* etc. T. I. Abth. IV. pag. 478 seqq.

¹⁵⁾ Haec omnino, maximam certe partem, ad laudati viri descripta esse rationem, et placita, peritorum nemo non agnoscat. Quem sane, quantum ad externam rei conditionem, et momenta temporanea, multa de prophetarum instituto praecleara proposuisse, aeque persuasum habeo, atque

E Iudaismo profectum, sponte sua, Christianismum, mutatis in melius et auctis, quae antiquitus fuissent tradita.

Auctorem enim *Iesum*, Christi nomine insignem, cum vidisset diuinius doctrinae elementa sacris quidem voluminibus condita esse, ibique velut quosdam igniculos emicare sparso; at cultum publicum ingente superstitionis laborare mole, illa selegisse studiosus, selectisque pro ingenio, et consilio satis bono ¹⁶⁾, meliorem formam induisse, ad sentiendi tunc temporis morem, quicquid praeciperet, accommodato: pro se satis contentum, suam ipsius de *Numine Paterno*, et sanctioris vitae studio, praeceptionem, fundamento pietatis et religionis patriae, iamdudum stabilito, superimpofuisse ¹⁷⁾.

Ita

atque eadem non valere eo, vt, omnium, quae huius causae videntur, potissimam reddant, plenamque rationem.

¹⁶⁾ Hoc certe modestiores iudicant modo.

¹⁷⁾ Comparantur hic *C. L. Reinholdi Briefe über die Kantische Philosophie*, et quicumque theologici generis scriptores, ex placitis Semlerianis, maximam institutionis Christi et Apostolorum partem ad *accommodationis*, quod dicunt, *systema* trahunt. Qui de rationis et veritatis rerum *V. T.* diuinitate illo censent modo, si de Christi ratione, et rerum eius atque doctrinae origine, haud aliter possunt, nec debent, indicare. Sed

B

non

Ita Iesu Christi institutum a priori illo, incepto a Mose, per Vates producto, sed iam pridem deprauato, vna volunt caussarum naturalium temporisque lege manasse; sine qualicunque Numinis intercessione, hoc minus admittenda, quod, quae *supra* naturam cogitentur, extra et contra naturam sint; imo, quod sagacius inde colligunt, vel per se pugnantia, vel omnem certe mentis, ex veritate, persuasum superantia. Adeoque in causa religionis quicquid euenerit vilo tempore, vllaue in gente, id vnus hominum, bene an male arbitantium, studiis tribuendum; nec vnquam in hoc genere alia quicquam contigisse ratione, quam qua cuncta videamus in vniversa rerum natura, inque excolendis artibus, inchoari, augeri, perfici ¹⁸⁾.

Qui secundae sententiae fauent, siue Theologi illi, siue critici et sacratoris litteraturae scriptores, quanquam vel omnes in eo conueniant, vt nullam priori, aliquam posteriori institutioni *diuinitatem* tribuendam censeant, in ipsa tamen huius diuinitatis ratione definienda vel maxime inter se dissentiant.

Alii

non deerunt, qui nihil hinc putent patefcere, praeter studium, atque conatum, res historicae fide probandas, aestimandasque, ad placitorum philosophicorum rationes, vel longissime alienas, componendi.

¹⁸⁾ v. not. 17.

Alii enim in singulari, quo res Christiana constituta est, modo, et rebus a Christo diuine gestis, vera *causae* et *rationis* diuinae documenta agnoscunt, eaque tanta, quanta sufficiant ad formandam inde *reuelationis diuinae* notionem, eamque certo fundamento constituendam.

Itaque rei christianae constitutioni causam vere diuinam ponentes, huius ipsius veritate alteram ab altera distinctam volunt institutionem. Adeoque Deum, statuunt, non nisi per I. C., nec ante rebus humanis intercessisse, veramque in causa salutis patefactam dedisse, ac rebus diuinitus effectis confirmatam, rationem¹⁹⁾.

B 2

Contra

19) Ita e. c. D. *Iac. Chr. Rud. Eckermannus* eam rationem, qua res V. T., quoad summam earum capita, et terminos quasi principes, vt ad constitutionem et conseruationem rei sacrae consultae diuinitus et effectae atque sancitae, traditae sunt, parum curare videtur, minusque facere: id quod e modo patet, quo eandem iubet explicandam, et ad I. C. negotium comparandam; quem certe talem postulat, quo admissio res illae non possint destitutae non videri a vera Numinis intercedentis ratione. Attamen idem vult vir doctus, in *Iesu*, qua (non *Messia*, ex notione prophetarum irrita, sed) veriori Christo, verum Dei Legatum agnoscendum esse: vt per quem Deus veritatem doctrinae salutaris patefactam dederit, quoque interprete mentis suae fuerit

Contra alii sunt, iique numero longe maiores, qui abhorrentes omnino ab ista de revelatione diuinitus facta sententia, simulque perspicientes, ob rerum, quae vtriusque sunt institutionis, nexum, fieri non posse, quin aut vtrique aut neutri ea competat *diuinæ causæ* ratio ac veritas, quam illi tantum posteriori propriam volunt, — eam omnem, quam verbis vsurpent, diuinitatem, non in propria *constitutionis* rei Christianæ, vt factæ diuinitus, ratione, sed vna in doctrinae

fuert vsus. Cuius quidem veritas inde pateat, quod ipse Iesus assumtam sibi hanc verioris notæ Christi dignitatem miraculis, aut rebus diuine gestis, probarit. Cf. viri laudati *Theol. Beyträge* Fasc. I-III. (Altonæ 1791.)

Sed iam supra notauimus, deinceps vopressius docebimus, haud posse hanc rationem constare sibi propterea, quod *summæ* vtriusque institutionis res, et momenta potissima, adeo sibi iuncta videntur, vt veram diuinitatis rationem aut ad vtramque pertinere, aut ad neutram, necesse sit. Id quod nemini non erit manifestum, pensitanti, non esse, quod Deum cogitemus voluisse veritatis diuinæ et consilii aedem irritò susperstruere fundamento, falsoque (humanitus factitio:) neque minus eo, quod ille ipse, quem veracem mentis Paternæ interpretem, et consilii eius effectorem, prædicant, isti tali arbitrando modo omnino, et ex toto, contradixerit. Nam diuinam, constat, prioris institutionis veritatem, quantum deberet, ore factoque asseruisse et confirmasse.

nae sanctioris *praeslantia*, sitam esse censent. Hanc autem praeslantiam aestimatam volunt *cum* in comparatione ad istam, quae ad Christi vsque aetatem inter Iudaeos valuisset, tum ad intrinsecam eius veritatem, qua rationi humanae consentiat. Hinc eam non ex toto, sed parte tantum, qua ad mores proxime pertineat conformandos, isto titulo exornandam putant.

At manifestum est, eosdem hac ipsa diuinitatis voce non nisi ludere ²⁰⁾, eiusque iustam notionem ac vim tollere, aut, ratione rei subiectae, inuertere et obscurare.

B 3

Illi

²⁰⁾ De modo, quem plerique nostra aetate in explicanda diuina religionis Christianae ratione, ac ipsa diuinitatis notione definienda, secuti sunt, et etiamdum sequuntur, arbitrario plane irritoque, pluribus egi in *der Neuen Prüfung*, etc. (Th. I. Abth. II. p. 129 seq.), ostendique, rationem Christianam, ex proprietate sua, *veram* esse non posse, nisi *diuina* sit; pro diuina autem non habendam, nisi talis fuerit, qualem esse ex professione I. C. oporteat, h. e. nisi *summam* exprimat consilii ac voluntatis diuinae in causa, quam Christus non pro se, sed Patre ita volente ac iubente professus est. Ob tantam huius rei grauitatem, tantumque eius momenti, omnes ibi ambiguitates, speciesque definitionum iuanes, apud tam multos hodie obtinentes, solutas dedi ac enodatas: quibus sane in rebus huiusmodi nihil magis cauendum esse, ii certe, qui iudicii potentes sint, non possunt non intelligere.

Illi igitur diuinitatem institutionis Christianae in *caussa* eius *efficiente*, quam a Deo repetunt; hi contra in materia et forma *doctrinae moralis*, quaerunt. Atque vt illi doctrinae *diuinitatem* non in ipsa doctrina, quasi dehinc per se constaret, positam esse volunt, sed potius ab *ortus* sui *ratione* repetendam, proque effectu *causae* diuinitus agentis, eiusque propriis rebus in facto positae manifestae, habendam arbitrantur: ita hi posteriores doctrinam istam non nisi sua ipsius per se probanda veritate, agnoscendam statuendo, nullam eius, vnde ortam putemus, *causae diuinitatem* admittunt: quam eandem vel superuacaneam iudicant, aut nihili faciunt, ipsumque adeo *diuinitatis* nomen vnum ob ita ferentem loquendi morem retinent.

Sed hi posteriores, quamlibet, quod ad V. T. res gestas, et sacra Volumina, pertinet, easdem illorum, de quibus primo loco dictum est, aut certe simillimas, saepenumero capient rationes, — hoc inprimis obiiicientes, quam plurima illic deprehendi, quibus, vt Numine indignis, ratio excultior non possit non offendi; — volunt tamen doctrinae Christianae auctorem pro viro vtcunque diuiniore habendum²¹), et praeceptionem eius, quatenus exigat

²¹) Certe inter homines virtute maxime praecellentes

gat virtutis studium, non minoris habendam, quam si ipsa Numinis potestate, et edicto quasi, contigisset ²²).

Ita certe audias complures multum de diuina religionis Christianae ratione fundentes verborum: quod tamen, si propius consideraris intentiusque, nec ad consilium minus proferentium, quam ad rei subiectae naturam, re-
tuleris; speciose magis, et comparate ad sanctitatem aliquam loquendi formam, quam ex veritate, usurpatum intelligas. Ut plurimum, non nisi ambigue, obscure et parum circumscripte loquuntur. Sed tamen clarius mentem suam explicandam ausi, inter Iudaeos vo-

B 4

lunt

lentes referendum. *"Wegen dessen, was S. 46 seq. über die Ansprüche Jesu von sich geurtheilt wird, muß Rec. bekennen, daß er Jesus noch immer für einen der vortrefflichsten und vorzüglichsten Menschen halten würde, wenn seine Ausdrücke von seiner hohen Würde auch wirklich ganz das Auffallende behielten, was sie beym ersten (?) Anblick zu haben scheinen."* V. relat. scriptifun-
culae: *Mein Glaube an die Lehren der göttlichen Offenbarung gestärkt und befestigt durch das fortgesetzte Betragen und die neuesten Schriften der Lehrer der reinen Vernunftreligion.* (Celle, 1791) in der A. L. Z. Nr. 210, de anno 1791.

²²) Doctrinae moralis popularis specimen vel optimum non facile sunt qui dubitent, aut negent, Iesum protulisse; et hoc velut vnum eius beneficium laudant; quasi vera religionis causa, et materia, nihil ultra desideraret.

lunt Iesum Christum, virum sapientem, et pietatis plenum, eodem, quo alii alias inter gentes versati fuerint viri probi et sapientes, extitisse modo, eodemque consilio, sacra apud suos reformandi, vsu: vt quae peruersa, et a veritatis ratione longissime abhorrentia vidisset.

Hinc annuente Numine, vbicunque temporis, ac loci, bona studia vi sua sustentante, e Iudaeorum illa superstitione domestica, ministrantibus dein discipulis, quos haud temere delegerit animo simplices probosque²³), Christianam rationem exortam esse; quam succedente tempore, facile fuerit cultiorem reddere, et veriori rationi accommodatiorem: id quod nostra denuo aetate, longe aliis praesidiis artibusque accessis, auspiciatus, quam vnquam retro temporum, factum videri.

Quid Iudaeos inter et Christianos, quoad res facras, de principio, interfuerit, nihil nobis, vnam religionis causam habituris, curandum esse; nequaquam sollicitis de temporaneis illis fundamentis, praesidiisque siue factitiis siue menda-

²³) "Daß Iesus Menschen von gemeinem und schlichten Verstand, aber von gutem Herzen, zur Ausbreitung seiner Lehre wählte, beweist seine große Klugheit, wenn wir die Sache nach dem glücklichen Erfolg beurtheilen dürfen." V. A. L. Z. loco ante (Not. 21.) citato. Cf. etiam Lessingii Theol. Nachlaß, p. 211 seq.

mendacibus, quae parum in rebus habeant rationis, aut si quid habuerint, certe non aliud, quam quod vnus in opinantium ad sancitam antiquitus traditionem commentis ²⁴) positum utcumque fuerit.

B 5

Ita

²⁴) Haec et huiusmodi, quae, quibus satisfaciant, haud inuide cedenda, deprehendas passim in scriptis eorum, qui de hac re nostra aetate sententiam laturo, aut nesciant, ubi se vertant, aut audentius putent pronuntiandum de abrogando diuino negotii Iesu Christi titulo. Et sane, qui diuinorem scripturae s. rationem nunquam *ex toto* perceperint; et a veritate accuratoris disciplinae ac eruditionis theologicae aequae alieni, quam prouisi sint ad amplexanda, negligentiusque adhibenda, placita, cuiusmodi b. Semlerio in deamatis fuisse atque carissimis; aut qui diuina quaeque tradita ad rationes tales quales philosophicas castiganda suscipiant, (quod alterutrum in plures hodie scriptores theologicos cadere videtur:) ii, fateor, non possunt tam suspenso pede non incedere, et vel suo ipsorum iudicio vacillare, quin hallucinari. Vere enim hallucinantes dixerim, qui impetrare a se possint, ut tam inconcinna, tamque parum consonantia sibi et aliis persuadeant, vel potius imponant. Scripta, quae huc conferantur, non necesse est indicari, cum neminem lateat lectorum eruditiorum, quae hisce annis tentata ab iis fuerint qui bono quidem animo (lubens id fateor,) at parum intelligenter, et iudicio minus constantes, quantam possent, operam darent, ut, infirmato primum, dein reprobato magis in dies magisque rationum priorum valore, ista placita, utcumque possent, commendata redderent.

Ita et haec arbitrandi ratio *diuinam* nexum, quae vtriusque institutionis sit, *veritatem* tollit, et vel ipsa, ex plurimorum sententia, in purum definit, quem dicunt, *rationalismum* aut *naturalismum*, aliquantum admixtae pietatis redolentem. Quem enim forte admittit nexum inter prius tradita et posterius facta, eum negat ad diuini alicuius consilii veritatem pertinuisse; et temeritate potius, quam ratione ducta, sumit, Iesum Christum prisca suae gentis oracula non nisi specie aliqua vspasse sibi, et ad se transferenda curasse.

3. Qui denique *loco tertio* positam supra sententiam defendunt, vtriusque institutionis *summam* aliquam *veritatem* esse, eamque ad vnus eiusdemque consilii diuini, vt quo saluti mortalium prospectum fuerit, rationem, iure quam optimo referendam, censent.

Idem, etsi in circumscribendis rerum singularium momentis aliquantum varient, sunt tamen in eo concordēs, vt pro vero habendum statuunt illud, quod auctor ad Hebraeos dictae epistolae primis verbis asseruit, Deum, dicens, non vno quidem tempore, nec vno modo, manifestum sese antiquitus, per prophetas (diuinos interpretes,) praebuisse Israelitarum patribus; vltimo autem tempore per Filium ad homines locutum esse.

Religionem Iudaeis habitam, aequè volunt institutam diuinitus, a Numine vero, non ficto, eiusdemque auctam in dies, et seruata, virtute ac ope, quam Christianam. Atque Abrahamidis in futura tempora promissa superne et sancita, Iesu Christi ope et auctoritate diuina completa esse; ad causam V. T. agendam, viros diuiniore non sua, sed Numinis, sponte excitatos probatosque; donec Iesus Christus, consilii *Paternali* sibi conscius, omnem eius rationem et expositam verius, et facto confirmatam effectamque dederit, ipse inductus ad hoc auctoritatis diuinae titulo, non fictio eo, sed vero vtique.

Sed non opus est plura addere, cum haec ratio e scriptis Theologorum, in hoc genere probatissimorum, satis nota sit. Eius autem summa cernitur eo, vt, ad fidem scriptorum sacrorum, inter prius consulta et effecta posterius, verum statuatur nexum intercessisse, non opinatum; proprium, non alienum; patefactum diuinitus, non mendacem, aut lusum ad qualescunque rerum fortuitarum species, vel nuda opinantium commenta atque somnia.

Quae adhuc expositae sententiae sunt, quam inter se pugnent, manifestum est.

Primo positam, etsi nihil eius, quod, ex fide rerum traditarum, huic argumento proprium videtur, prae se ferat, sua tamen, qua gaudeat,

gaudeat, simplicitate ac facilitate, et quod isti sententiae, qua quidem omnia ad naturae, et captus humani, legem composita postulant, apprimè conueniat, maxime commendatam volunt.

Secundae, vidimus, vtramque speciem idcirco a vero alienam esse, quod, negando pariter atque ponendo, pleraque sumit, quae nec sibi satis content, nec rei subiectae conueniant.

Tertiae denique, si in totum accepta fuerit, et ad potissimas veritatis, et fidei historicae, rationes comparata, per se quidem videatur plus veritatis subesse; nec tamen diffitendum est, eandem non ab omni adeo difficultate liberam esse, eaque posita minus in causae assertae singularitate, (modo eius possit *αξιωματικῶς* rite probari;) quam in defectu rationum, quas nonnulli eiusmodi postulant, vt per se manifestae sint, omnemque eripientes dubitationem iis, qui in causa religionis, vel diuinitus constitutae, nihil admittendum statunt, nisi cuius iusta quasi, ad rationis humanae captum et normam comparata, fieri queat demonstratio. Sed quo iure hoc postuletur de rebus in facto positis, huius loci non est pluribus quaerere.

Enimvero, vt in causa tam controuersa certius quid efficiatur, et ad vsum accommodatius,

datius, nihil videtur conuenientius fore, quam si primo viderimus, quae propria fuerit Seruatoris et Apostolorum, ex fide scriptorum N. T., de hac re sententia. Qua (tanquam virorum, qui ob id a Deo constituti videntur, vt, quam possent, iustam nobis rei diuinae facerent fidem,) excussa ac definita, facilius erit, rationes eius ita expendere, vt videamus, quales illae et quantae sint; fortuitae, an absolutae, ex ipsa rerum veritate petitae, et ob hoc per se valentes, an vero minus. Quo quidem facto, non discerni solum certa ab incertis, verum et continuo ordine tradi poterunt, quae spectent veritatem et rationem eius nexu, qui vniuersum intercedat rerum vtriusque T. argumentum et tenorem.

Sed cum tanta sit huius rei amplitudo et varietas, vt vna aliqua huius generis scriptio minus possit omnes eius partes complecti, in praesenti visum est, non nisi de *nexu*, qualis inter vtrumque diuinae constitutionis foedus constet *prophético*, quaerere; ita quidem, vt non ad omnia simul, quae huc spectent, loca, animum aequae aduertamus, sed tantum ad insigniorem illum, quem delegimus, Petrinum; vt in quo exactius explicando copia simul et facultas erit, quae huius argumenti sint, proferendi.

Iamque

Iamque ad institutum accedamus, quod est, ut diximus, *Petri Apostoli sententiam de ratione, quam vatum priscorum oracula ad rem Iesu Christi habuerint, exponere.*

I.

Locus e I. Epist. Petri c. I, 10--12.
explicatus.

Petrus Apostolus, cum per totam, quam scripsit, epistolam priorem, (de cuius fide, vel certitudine, nunquam dubitatum videtur,) id vellet agere, ut Christianos per Pontum, Galatiam et confinia habitantes, ad sibi constantem pietatis christianae professionem et exercitium, quanto posset studio, adhortaretur; huius adhortationis suae statim ab initio hoc fundamenti instar posuit: videlicet, *summam esse et immortalem salutem, cuius spe certa gaudeant, quibus patefacta sit doctrinae evangelicae veritas, si modo omnem, quam deceat, daturi essent operam, ne a cognitae veritatis ratione iterum descicerent; sed vel afflicti undique constantem sibi, ad finem usque, praestarent fidem, persuasum habendo, se ita, in praemium professionis suae, veram aliquando salutem esse reportaturos.*

Sed ne iis, ad quos scripsit Apostolus, Iudaismo maximam partem natis et innutritis,

res christiana vel de ipsa nouitate (quasi inaudita ferret,) videretur suspecta ²⁵): illam salutaris doctrinae veritatem in primis commendat ex prophetarum studio, et vel Angelorum, penitius in eam inspiciendi, desiderio.

Igitur, post verba: Κομιζομενοι το τελος της πισεως υμων, σωτηριαν ψυχων ²⁶): reportantes (reportaturi) in praemium vestrae ipsorum fidei, salutem animarum: sic pergit:

περι ης σωτηριας ²⁷) εξεζητησαν και εξηρευνησαν προφηται, δι περι της εισ υμιας

²⁵) Quod facile poterat accidere hominibus, quibus, vt a Palaestinae regionibus longius diiſtitis, vna velut magistrorum fide standum erat. Cap. I, 8.

²⁶) Loco ψυχων in Cod. Mill. habetur υμων. Vett., Syr. Ar. Aeth., vtrumque, ψυχων υμων, expriment. Vulgaris lectio et per se concinnior, et orationis proposito conuenientior. Alii σωτηριαν ψυχων reddunt: omnimodam salutem; alii: vestram ipsorum salutem, vt כּוּכַבְּנֵי חַיִּיִּים: sed Apostolus videtur σωτηριαν ψυχων salutem animarum, posuisse, vt veriorum, quae Christianis speranda esset, salutem designaret, eamque oppositam vanitati vulgi Iudaici, terrena quaeque a Messia expectantis.

²⁷) Lectio variat in ελπιδος. Vtrumque, et σωτηριαν et ελπιδος, instar notulae, de margine textui insertae, possit haberi: vno voculam ης περι σωτηριας, altero, minus bene, per ελπιδος, explicandam opinato. Vtuncque sit, illud σωτηριαν subintelligendum, quod et vett. Syr. Ar. Aeth., reddiderunt.

ὑμας χάριτος προφητευσαντες ερευναν-
τες, εἰς τινὰ ἢ ποιῶν καιρὸν ἐδηλω-
το ἐν αὐτοῖς πνεῦμα χριστοῦ προμαρτυ-
ρομένου τὰ εἰς χριστὸν παθήματα
καὶ τὰς μετὰ ταῦτα δόξασ' εἰς ἀπεκα-
λυφθῆ, ὅτι ἐχ' ἑαυτοῖς ἡμῖν δε²⁸⁾, δηλοῦν
αὐτὰ· ἃ νῦν ἀγγελη ὑμῖν διὰ ευαγγελισ-
μένων ὑμας ἐν πνεύματι ἀγίῳ²⁹⁾, ἀποσα-
λεντι ἀπ' οὐρανό· εἰς ἃ³⁰⁾ ἐπιθυμεῖσιν ἀγ-
γελοι παρακλῦσαι·

H. e.

*Qua de salute curiosius inquisierunt³¹⁾ prophe-
tarum illi, qui³²⁾ de destinato vobis a Deo bene-*

28) ὑμῶν melius: quod et vett. Translat. et plures
Mss. codd. exhibent.

29) Verius ἐν πν. (חבר), quam, quod in quibus-
dam simpliciter, πνεύματι.

30) εἰς ἃ, in quae: alii, εἰς ὅ, in quod; sc. non
πνεῦμα, sed totum salutis negotium, vt prouisum
diuinitus. Quidam, εἰς ὅν, perperam.

31) ἐξεζητή· καὶ ἐξερευνῶ. Recte statuunt viri quidam
docti, verba ἐξεζητή et ἐξερευνῶ hic synonyma
esse, (v. D. I. Pott, v. v., *Epist. Cathol.* Vol.
II. p. 42.) nihilque faciendam subtilitatem di-
stinctae notationis pluribus hic quaesitam. At-
tamen non otiose adeo, sed intentionis causa,
duo verba posita pro vno videntur. Hinc verti:
curiosius inquisierunt.

32) προφηται, ὅι etc. prophetarum illi, qui etc. Si
cui (ob alia huius argumenti loca, vbi a Christo,
aut ab Apostolis, Petro praesertim, πάντες ὅι
προφηται (omnes prophetae) dicuntur de rebus
Christi

*beneficio vaticinati sunt*³³): *scrutati*³⁴) *in-*
primis, qualicumque demum tempore spiritus
ille, qui de Christo per eos testabatur, indi-
caret

Christi vaticinati,) parum plene ita vertisse vi-
dear, is, velim, cogitet, illis in locis *παντας*
τους προφητας non absolute dici *omnes et singulos*,
(quasi omnes et singuli fecissent, quod de toto
genere valet:) hoc autem loco Petrum non nisi
eos designasse, qui *περι της εις υμας χαριτος* vati-
cinati sint; id quod a singulis quibusque fa-
ctum non dicit. Plura infra dicentur.

³³) Prophetarum est *προφητευν*. Quid autem
προφητης, quid *προφητεια*, quid *προφητευν*, ex
sententia scriptorum sacrorum, et Petri ipsius,
tam certum ac definitum est, vt in luce tenebras
quaerere videatur, qui hic multum ambigat. In
totum *προφητης* is est, qui *proferit percepta et*
iussa diuinitus; et *προφητευν* (*prophetam age-*
re.) *proferre, pandere et declarare* aliquid, non
vt pro se, et sponte, excogitatum, sed vt a Nu-
mine *iussum et patefactum*: siue, quod profer-
tur, ita comparatum sit, vt non nisi a Deo sciri
et manifestari posse cogitetur, siue minus. Ob
hoc 2 Pet. I, 20. prophetae *υπο πνευματος αγιου*
φερομενοι dicuntur, et qua tales locuti; nullam-
que, ibidem asseritur, vnquam *προφητειων ιδιου*
επιλυσεως γενεσαι, aut *δεληματι ανθρωπων ενε-*
χθησαι. At enim hoc loco prophetae ceu *futu-*
rorum (rerum ad Messiam pertinentium) *prae-*
minii, significatu angustiori, memorantur.

³⁴) *ερευνησαντες* pro *ερευνησαντες*, quod vno Cod.
habetur. v. Pott l. c.

caret futuras esse et calamitates Christo subeundas, et securam eius subinde gloriam. Sed patefactum illis³⁵), quod non sibi, sed nobis ministrarent ea: quae eadem iam annuntiata vobis sunt per eos, qui sancto, coelitus demisso, spiritu instructi, vos in doctrina salutari instituerunt.

Antequam singula, quae huius loci sunt, momenta singulatim expendamus, proponamus sequentia enunciata, quae protinus ex hoc loco colligi posse videntur.

1. Id salutis beneficium, cuius Apostoli sint ευαγγελιστορες, idem esse, de quo iam antiquitus Deo prouisum sit;
2. de quo prisca ante vates, diuinitus edocti, studiosius quaesierint.
3. Vti Apostoli per spiritum sanctum res Christi tanquam gestas annuncient: ita vates, aliquo ductos spiritu Christi, easdem testificatos esse futuras.
4. At nesciisse, quo tempore hoc beneficium futurum esset;
5. cuius propterea explorandi desiderio ducti fuerint:

6. At

³⁵) οἷς ἀπεικλιφθη ἀποκλιφθηται dicuntur, quae alio reuelante, vel manifestante, percipiuntur: hinc futura ea, quae non nisi Numine monstrante innotescant, quae spiritu prophético competantur.

6. At nihil de eo compertum habuisse, nisi quod salus illa insignior ad seriora vsque tempora referuata esset, vt contingeret.

7. Id quod factum vi et virtute Iesu Christi.

Quae quidem cum, ex parte, tam singularia sint, vt operae pretium fuerit indagasse, qua vel traditione accepta, vel ratione ductus, ea protulerit Apostolus: inprimis quaerendum erit.

1. Qua ratione putemus Apostolum voluisse, vates *de salute ad Christianos pertinente* ἐζητησαι et ἐξερευνησαι.

2. In quosnam prophetarum cadere possit, quod eos, generatim loquendo, dixit de tempore Messiae scrutando sollicitos fuisse.

3. Quid πνευμα illud χριστος εν αυτοις, quod edoctos vult aliqua de vtraque Iesu Christi sorte, calamitosa vna, gloriosa altera, praelagiisse et praedixisse.

I.

Inter Iudaeos olim vult Apostolus vates extitisse, qui *de salute ad Christianos pertinente* quaesierint et vaticinati sint ³⁶). Hoc, manifestum est, cum non alio tradidisse modo, nec etiam alio voluisse accipi, quam eo, quo

C 2

tunc

³⁶) περι της εις υμας χαριτος προφητευσαντες.
v. 10.

tunc constaret utcumque, siue traditione ferente, siue chartis vaticinis testantibus, vates de ΣΩΤΗΡΙ aliquo futuro, et de rebus eius prosperrime gerendis, indeque paranda σωτηρια omnigena, oracula olim dedisse.

Enimuero, an sint aliqua huiusmodi ab illis prodita, et qualia, id certe nobis licet non aliunde discere, quam comparatis exactius ipforum, quae restant, monumentis scriptis. Quorum quidem argumento, ex ea parte, quae Messiae spectat res futuras, paullo attentius excussa, eiusdemque habitu ad res Iesu Christi, et salutem adeo Christianam, aestimato rectius, intelligatur profecto, vates illos, etsi, quod facile inde colligas, non omni quidem caruerunt salutis, Messiae olim parandae, notatione aut praefensione potius; eius tamen, quam re ipsa partam I. C. Apostoli praedica-
runt, minus plenam, nec propriam ^{adeo} conceptam animo fouisse sententiam. Certe Paulus Apostolus, cuius rationem Petrus quodammodo putatur secutus ³⁷⁾, non vno loco, nec vno modo, infert, veram ^{doctrinae} ~~rationis~~ euangelicae rationem et conditionem nemini ante Christum intellectam fuisse: et Petrus ipse in altera, quae fertur eius, epistola, vbi de vatum scriptis, et vniuerso eorum argumento (I, 19 - 21), loquitur, eius-
modi

³⁷⁾ v. I. G. Eichhornii, V. C., *Bibl. d. bibl. Litt.*
Vol. III. p. 521. seqq.

modi de iis notat, vnde haud temere conicias, non multum adeo propriae illum huius rei notitiae vatibus tribuisse.

Itaque, etsi non de alia quidem, quam *ψυχων σωτηρια* illis vult quaesitum esse, vt ad quam ipse proxime (v. 9.) respexit, hoc tamen non nisi ratione *effectus*, summi et vltimi finis a Deo prouisi, (rebus tandem, Numine volente, ita euenientibus,) dixisse ac intelligendum voluisse, putandus est.

Nihil quidem prohibet, quo minus credamus, prophetas, qua viros diuiniore, vel ipsos pro se fuisse admodum sollicitos de re, cuius tantam aliis spem facere deberent: scilicet de *σωτηρια* ³⁸⁾ aliquando per Messiam paranda. Ipsa eorum, quae restant, monumenta scripta aliquatenus testantur, quantae curae id illis fuerit: tametsi eadem quoque docent, non diuiniore eos verba de rebus Messiae fecisse modo, quam quo ferret temporis, quo quisque constitutus esset, et reipublicae sacrae status atque conditio. Quaeque commoda, vel *σωτηριων* omnigenam, eorum praesagia tulere. Quam tamen, cum deinceps, ex euentu totius a Christo gesti negotii, intelligeretur, non potuisse, nec debuisse etiam, aliam fieri diuinitus, quam quae animarum effret,

C 3 non

³⁸⁾ Hoc nomine venit, quicquid commodi a Messia expectandum olim videretur.

non rei externae, nec ciuilem adeo: idcirco asserit Apostolus, de *verioris* eius, quae Christianis per I. C. contigerit, salutis *spe* et ratione iam prophetis olim quaesitum esse.

Nec temere hoc: quoniam et rei euentus, et consulti diuini ratio indidem patescens, ita ferebant, vt rerum a vatibus praecelularum, intelligeretur, vltimum finem non ad aliam, quam ψυχων, σωτηριων protendisse.

Ad ipsa autem quod attinet vatum, quae huius sunt generis, eloquia, mihi quidem eorum prae aliis probatur ratio, qui nec sublimius iusto, nec etiam tenuius, et quasi crudius, de vero eorum velint argumento statuendum: censendo, pie magis, quam vere, arbitrari, qui totam quasi doctrinae, et historiae I. C., quantamcunque rationem ibi descriptam quaerant; neque tamen minus hallucinari, et vel toto coelo errare, qui vel sanctius quodque et diuinius, in scriptis vaticinis adumbratum, ad sensus fere non nisi carnulentos, ne dicam brutos, deliciendum velint.

Certe, quod prophetae praesignificarunt huiusmodi, id, quoad rei, Deo prouisae, veritatem, non tam animo videntur lubentius coniecisse, nec vna sua ipsorum sponte ausi, quam diuinitus compertum vtcunque habuisse, in rebus certis positum, in promissis simpliciter, iis-
que

das imprimis, his tamen conciliatas simul reliquas terrarum gentes, vna pietatis et sanctioris vitae lege, ad verioris felicitatis vsum duceret ³⁹),

Nec adeo displicet eorum coniectio, quibus videntur prophetae, vtramque praesagiendo Messiae conditionem, afflictam primum dein gloriosam, prae aliis exemplis illud Dauidis obuersatum animo habuisse ⁴⁰).

Hic enim quemadmodum ab infimis ad summa euectus videbatur, nec nisi multis ante curis aerumnisque fatis molestis, et laboribus per-

³⁹) Inter regnum diuinius, quale Vates Σωτηρι futuro tribuisse videntur, et quale prae se tulit Seruator ceptendum, (vsurpato ad hoc βασιλειας των σπανων, vel Θεσ, nomine iam sacro,) id erat discriminis, vt quod illi in forma eius et conditione (sine qua fieri nec posset nec deberet,) posuissent, id pro fine ipso Seruator haberet. Scilicet pietatis et virtutis studium illis videbatur lex et praesidium regni diuiniore visibilis: huic vero idem pro re ipsa regni, quale vnum voluit, inuisibilis habitum est. Praesagentibus illis, noua aliqua Θεοκρατια, terminis indefinitis circumscripta, et paranda erat Messiae et diuine regenda: at Christo praecipiente, ipsa hominum studia, quaecunque sint, ad rationem diuinam (veritatis et sanctitatis legem) conformanda sunt et dirigenda. Quod vbi fit, ibi, inquit Seruator, Pater regnat in terris, sicut in coelis.

⁴⁰) v. Eichhorn l. c. Vol. II. pag. 1053.

perfunctus, ad laetiora tandem peruenerat; id-
que Numine tam singulari modo prouidente,
tamque manifestis indiciis vsquequaque susten-
tante: Sic et Messiam, consentaneum erat,
multo licet, quin infinite, sublimiori modo, a
paruis initiis ad grandissima quae-
que profecturum; nec ipsum etiam, nisi
post maximas demum, quibuscum luctandum
esset, superatas difficultates et afflictus, ad di-
uinum regni et potestatis sanctioris
fastigium ascensurum ⁴¹).

C 5

Quae

41) Nec tamen vni prophetarum arbitrio tribuerim,
quod in describendis rebus Messiae de Dauide
aliquatenus cogitarint; quasi iam omnium, quae
de illo praedicta, reddi hinc posset ratio. Maius
quid insuper requirendum videtur, pluribus no-
tatis, quorum e rebus Davidis vel nulla possit,
vel non integra ea, aut sufficiens, ratio reddi.
Quam eandem vt cogitemus, aliquam, oportet,
diuini institutionis veritatem illis contigisse.
Quatenus prophetiam volumus rationem,
certa ea, et firma, esse debuit. Qualis minus
fieri potuit, si nudam cogites, quantamcunque
vel qualemcunque, poeticam quicquid imagi-
nandi vim, nulla adiutam Numinis volentis, pro-
videntis et copiam facientis, ope. Deus iussit
res Christi ita, vt tulissent potiora vatum prae-
uisa, euenire. Vnde eadem, colligamus licet,
a Deo fuisse prouisa, factamque eam mentium
prophetantium intentionem, quae in causa esset,
vt tales quales conciperent sensus, nec aliorum
versae, plurimum a veritate deficerent. De-
scribendo,

Quae dicta sunt, vno alteroue exemplo illustremus. Ieremias, propheta, quam melius

scribendo, aut praefigurando Messiae, Deus voluit exemplo Davidis aliqualem vatibus quasi materiem praebere, ex iis rebus repetendam, quae singulari modo illi ex consilio diuino contigissent, non quas ipse sponte sua tulisset, aut libidine patrasset, (quibus adeo offenduntur censorum quidam liuescentium, vt non nisi haec conspiciant, ad caetera caecutientes:) ob quod ille, ab antiquioribus inde temporibus vel typus Christi habitus est. Neque hoc quidem temere adeo, modo rectius intellectum fuerit. At ne hoc ipsum, quod dico, in miris ponatur, et spernari facilius, quam intelligatur, insuper haec adnotasse lubet.

Ab inde rerum humanarum principio Deus curauit homines (primaenos, dein Abrahamidas,) *exemplis rerum in facto positarum* erudiri; effecitque, vt ab ipsis indidem hominibus ducerentur *praecepta et notiones* tam rerum diuinarum, quam *rationis* earundem communis et perpetuae; curauit, vt *signa rerum iam extantium*, vel notae et *argumenta*, documento essent *intelligendis* pariter ac *expectandis* euentuum similibus causis aequae diuinis, ad rationes quidem in rebus antecessis iam positas, et modo quasi exemplari delineatas. Profecto, in historia sacra posterius facta ita videntur iuncta prioribus, vt accessi cuiusque ratio ex antecessis reddi possit, et vnus ad alterum applicatio fieri, non tantum ob consensum rerum natura similibus, sed ob vniuersum rerum potissimarum ordinem moralem; ob perpetuam et communem eorum, quae singula diuinitus prouisa essent, rationem, aequae a viris pro tempore

melius intellexerit praeuisam *salutis Messianae* veritatem, ipsa eloquiorum eius (31, 31-34) ratio

pore diuiniore patefactam. Historia sacra offendit, cuiusmodi nulla alia. Hinc factum, ut in causa regionis ita constitutae notiones communes e rebus semper in facto positis ducebantur; et quo maior earum, tempore procedente, facta esset copia, eo potiora et illae augmenta caperent. Notiones ratae, et sacratae imagines, causam et materiem praebuere rerum futurarum, siue ad similitudinem conciperentur praeteritorum, siue expectarentur aut pro se, aut accedente propria aliqua reuelatione.

Inter alias gentes destitutas aequa, aut simili, rei diuinae copia, eiusque documentorum interpretatione diuine sancita, tale quid nec potuit fieri, nec factum videmus. — Quae cum ita sint, — certe negare nemo poterit ita esse, — plura mihi videntur in historia sacra adesse, quae tantum ad se inuicem mutuae habeant rationis, ut non verear eadem vel *typica* dicere (nisi a voce abhorruerit animus tuus,) vel *symbolica*. In potissimorum hominum rerumque exemplis nonnulla sunt, quae, constat, velut lumina quaedam distinctiora, praecipuam significandi et illustrandi vim habuisse, ita ut essent simul pietatis, fidei et virtutis sanctioris documenta, praebentque viuas doctrinae, sensus religiosi cunctaque permeantis rationis diuinae, imagines. Quantum ad summam harum rerum, ea vel nullum habeant sensum, vel *diuinum*. Si diuinum, potiora quae eius sunt momenta, sibi inuicem responderint necesse est, fuerintque signa, et imagines, rationes consilii et voluntatis diuinae exprimentes,

Quibus

ratio docet. Voluit enim in veriori Numinis colendi ratione, sanctioris vitae et pietatis studio, positam eam, atque cum priorum delictorum condonatione coniunctam.

Nam de aliquo Dauide prognato, iustiori illo ac veriori, vel excellenter iusto et vero, loquendo dixit, hunc saluatorem futurum, ad legem praestantioris longe foederis, de nouo faciendi, abrogato priori, et ad conditionem melioris rerum diuinarum cognitionis et studii maxime ratam: ita vt nemini vltra ab ore legem docentis magistri pendendum sit, cunctis *ἑσθιδάκτοισι* futuris, sensum veri et iusti imprefsum animo habentibus, talibusque futuris, quibus peccatorum vna priorum in totum a Deo obtingat remissio ⁴²).

Quam

Quibus positis, sequitur, *rationem* istam *symbolicam* positam esse in rebus potius, quam lusibus verborum, aut similitudinem captiunculis; tantumque eidem tribuendum, quantum ipsa diuinae institutionis ratio praestat. Hic autem cogitandi modus, I. C. simul et Apostolorum exemplo comprobatus, eo minus videtur repudiandus esse, quo magis conferat ad rem sacram verius intelligendam, certius illustrandam, fatiusque probandam.

⁴²) כִּי אֶסְלַח לְעוֹנֵיכֶם וְלִחַטָּאתֵיכֶם לֹא אֶזְכֹּר עוֹד :
Ierem. 31, 33-34. Haec, et similia, non certa ratione praesignificata esse, sed promissa tantum audentius, ea conditione, vt Abrahamidae, ex-
lio

Quam eandem (puta, peccatorum remissionem) Iesaias tradidit paratum iri ab illo, qui, plenus Numinis, salutare quicquid praecepturus sit, suaque ipsius sponte aliena commissa luiturus ⁴³).

Quo

lio superstitis de stirpe aliquem Davidis iterum regem crearent, quod tamen facere neglexerint; (cf. *Eichhorn*, V. C., l. c. Vol. I. p. 350. 738. seq. Vol. III. p. 67 seq.) aut certe ad tempora exilium propius secuta, minime ad res I. C., referenda esse, pluribus de causis prohibeor, quominus persuadere mihi queam. Quae Messiam spectant, ea, si *in totum* rem spectes, tam definito, tamque certo a prophetis enunciata sunt modo, quo vix aliud quicquam; hominibus nihil, Numini omne, quod huius causae est, tribuitur. Praeterea absolum esset cogitare, tantam rem tam fortuita illa conditione Deum voluisse suspensam.

⁴³) etc. יצרוק צרוק לרבים וענתם הוא יסביל
Ies. 53, II seq. Sequiorum Iudaeorum, constat, plures esse, qui Iesaiam velint toto hoc capite descripsisse non Messiam, sed gentem Iudaicam, de statu suo misero, et afflictâ conditione, mire querula, post exilium, verba facientem. Cuius opinionationis exemplum videas in *I. Cocceii* opp. Tom. VII. p. 62 seq. Quod tamen minus mirum, quam inter Christianos, aequiores et peritiores iudices, reperiri hodie, quibus opinio tam false subtilis, tam aliena, tantumque detorta, adeo arriperit, vt, sprete ratione cum sacrorum N. T. scriptorum (Act. II, 10. seq.), tum antiq. quorum Hebraeorum, (qui, quos dixere gra-
uissimos

Quo haec, et alia de Messia prodita, tempore Christum natum vel praecedente proxime, vel subsequente, accepta fuerint modo, id e primis duobus commentariorum Matthaei et Lucae capitibus, (vbi vota et laudes Zachariae, Simeonis, Mariae, Annae, sanctorum hominum, memorantur,) discere licet.

Ipsium nomen ΙΗΣΟΥΣ, quod Seruatori impositum diuinitus fertur ⁴⁴), salutis paratorem, vindicem et liberatorem a malis quibusque designat: explicatur autem per σωσονται τον λαον αυτε απο των αμαρτιων.

Hinc talis erat futurus, qui, conciliata populo apud Deum noua gratia, et λυτρωσει omnino, copiam et facultatem concederet, veriori

uiffimos Messiae dolores (חבלי משיח), et castigatus vel afflictus eius, (יסורי) ex hoc loco, nec aliunde, repetisse videntur, de illa posteriorum Iudaeorum ne suspicati quidem,) mallent animum in hunc quasi sensus Iudaici amorem inclinare, quam reputare, quid fecerit, quod Iudaei recentiores, auersi non solum a re Christiana, sed simpliciter ab agnoscendo Messia, qualem Iesaias descripsisse videtur, istum explicandi modum effingerent, per se veri haudquaquam similem, totque laborantem difficultatibus. Inuidiae amouendae causa, et alicuius Φιλανθωσ gratia, factum id esse, quis est, qui non suspiciat? V. infra not. 92.

44) Καλέσει το ονομα αυτε ΙΗΣΟΥΣ. αυτος γαρ σωσει τον λαον αυτε απο των αμαρτιων αυτε. Matth. I, 16; 2, 6. Act. 4, 12; 5, 31.

veriori pietatis et virtutis studio operam dandi
(τε λατρευειν Θεω εν όσιοτητι και δικαιοσυνη της
καρδιας), cuicumque id animo lubuisset.

At vero hic tenendum, istos sanctioris
animi homines, in tribuenda *Iesu*, tanquam
Christo, (vt quem dicunt δια σοματος των
άγιων προφητων απ' αιωνος promissum, et κατ'
επαγγελιαν και προγνωσιν Θεου expectatum,) li-
berandi a peccatis potestate, non
protinus de eo cogitasse, quod Seruator ipse,
et dein Apostoli, de vera a peccatis obtinendae
libertatis ratione praeceperunt: et multo mi-
nus de eo, quod in scholis Theologorum, plu-
ribus post saeculis, de *iustificacione* ob Christi
meritum etc. etc. traditum est.

Enimuero illud spectarunt, votisque in
carissimis habuerunt, quod factus iam praefens
Messias vniuersum populi et reipublicae statum
in melius esset conuersurus, *cum* tollendo, ope
sua, priora delicta publica, populo conciliata
noua omnino apud Deum maiorique gratia,
remotisque malis iis, quae poenae diuinae
instar vniuersam vsque tum gentem premere
videbantur ⁴⁵⁾: *tum* parando, ad modum Da-
uidis,

⁴⁵⁾ De vniuersa gente agitur, non de singulis.
άμωρτια igitur gentis sunt, non singulorum;
delicta publica, non priuata. Ita et *αφεσις*
άμωρτιων intelligenda de reconciliatione genti
apud Deum paranda, et delenda miseria status
publici,

uidis, multo licet insigniorem, tantum securitatis et libertatis publicae, deuictis vndique hostibus, sanctiori reipublicae vtcunque infestis, vt pius quisque posset Numen colere, animo lubentiori, sine omni metu, et sanctorum more patrum, at perfectiori eo, nouisque rei sacrae incrementis, per Messiam accessuris, accommodato.

Hinc inde satis manifestum, qua ratione Petrus dixerit *vates de salute christiana studio-*
sus

publici, quae peccatorum publicorum instar argumento habebatur. Vbi mala cessant, ibi *αφεσις* *ἀμαρτιῶν*, de rebus siue publicis siue priuatis agatur. Ad Christum vsque publica commoda vel maxime a Messia expectata sunt. Christus ostendit contrarium. Sustulit non gentis delicta, et mala ciuilia, sed priuatorum, praecipiendo, agendo, consolando, infirmitates sanando. Hanc posteriorem rationem nos quidem recte sequimur, at minus recte transtulerimus ad cantata Zachariae similia. Quae eadem statum gentis publicum potissime spectabant, non seiunctis quidem melioribus religionis, siue pietatis et virtutis, studiis, vt quorum sub lege illa reipublicae commoda vnice sperare fas erat: at isdem alia tamen ratione adiungendis. Atqui illa bona, vt ita dicam, *moralia*, cum non nisi in praesidio aut *remedio et conditione* reipublicae beandae, non in *sine ultimo* negotii Messiae gerendo, ponerentur (v. supra not. 39.), facile perspicitur, quantum fuerit, quod Iudaeos, his sensibus imbutos, impediret, quo minus morem gererent I. C., quantumcunque comprobato diuinitus, et vndecunque commendato.

studiosus quaesisse. Nempe viderunt illi, permagni quid ad seriora Messiae tempora referuari, quod ex prouiso Dei foret, vt tanto Duce contingeret.

Atque hoc ipsum, cum euentus tandem doceret, non aliud fuisse, nec debuiffe, futurum, quam *σωτηριαν ψυχων*: sequitur, in tantum illos huius rei veritati operam suam studiumque imposuisse ⁴⁶⁾, vt potius quaerent momenta eius cognoscenda, quam vt veram eiusdem rationem praecognitam habuissent.

II.

Etsi, qui fuerint *οἱ περὶ τῆς εἰς ὑμᾶς χάριτος προφητεύσαντες* ⁴⁷⁾, Apostolus, vniuersim locutus, non indicauit, aliunde tamen colligi poterit.

Siue

⁴⁶⁾ Quatenus quaesierint prophetae *περὶ τῆς σωτῆριαν ψυχων*, Apostolus non definiit. Verba *ἐκζητεῖν* et *ἐξερρευναι* ad rei non minus, quam ad temporis, rationem referri queunt. Nexus tamen posterius suadet: et quanquam prius non seclusum omnino velim, vero tamen siuilius est, de tempore, quam de modo, felicitatis Messianae sollicitos fuisse. Modum pro conditione temporis quisque sui conceptum animo habebat, adque reipublicae, constitutae diuinitus, praesumptam similitudinem.

⁴⁷⁾ *Χάρις καὶ ἀληθεῖα* (Ἰωάννη 1:14) propria designant *Iesu*, vt veri, quem Iohannes defendit, Christi, beneficia. Ioh. I, 14. 17.

D

Siue enim communem Apostolorum, Iohannis, Pauli, Philippi, recognoueris doctrinam, comparatam eam cum iis, quae Seruator discipulos, non vno tempore, nec vna occasione sumpta, docuit; siue Petri ipsius sententiam, alibi (in Actis c. 2 feqq.) expressam, huc retuleris: patet, prophetas, vel προφητευσαντας, appellasse eum quoscumque de rebus Messiae vaticinatos ⁴⁸).

Enimuero, cum eosdem, vel, quod vero similius est, aliquot eorum, dicit ερευνησαντας (ερευνησαντας), εις τινα η ποιον καιρον εδηλε το εν αυτοις πνευμα χριστου: praesertim eos notare videtur, qui tempori exactius definiendo studium suum imposuerint.

Quod fecisse vnum aut alterum eorum, qui de rebus Messiae quaerent, etsi per se non abs re fuerit cogitasse, nullum tamen, praeter Danielelem, nouimus, de quo id paullo certius constare posset.

Hic

⁴⁸) Non de nomine prophetarum proprie (a munere) dictorum, sed de re ipsa, de argumento prophético, et de προφητεια quorumcumque προφητευσαντων (Mosis, Dauidis etc.), et vbicunque reperienda (in Legis, Prophetarum, Hagiographorum chartis), ipsi interfuit admonere. Ipse Seruator ad Mosen non minus, ad Dauidem, etc. quam ad proprie appellatos prophetas respexit, docere cum vellet, quae, et cuius modi, essent των προφητευσαντων ad se pertinentia eloquia. Idem Petrus, Paulus etc. in orationibus suis, de eodem argumento, ad conuincendos Iudaeos, habitis.

Hic enim traditur ab Angelo, qui futura ipsi monstrasset, etiam tempus, in quod caderent ista, studiosius explorasse. (Dan. c. 9.)

Ad quem igitur prae primis Apostolorum respexisse, plerique volunt interpretes. Nec adeo temere.

Nam, quod vnquam a priscis Iudaeis rationum vel calculorum, ad definiendam Messiae aetatem, tentatum est, proditumque, id, maximam certe partem, ad Danielis ductum esse effata, constat ⁴⁹).

Hinc recte coniicias, antiquitus creditum esse, tempus Messiae, a plerisque prophetarum non nisi indefinite significatum ⁵⁰), a Daniele circumscriptius denotatum esse.

Istud autem Danielis vaticinium, quod c. 9, 24 seq. deprehenditur, Christus videtur ad suam aetatem, vltimaque Iudaeorum fata tristissima, etiam pridem illic diuinitus praefinita, transtulisse: quod oportet et Petrum fecisse qualicumque ductum ratione, certe Danielem, vt de rebus hisce maxime curiosum, in

D 2

mente

⁴⁹) Exempla dabunt scriptores, qui rem Christianam aduersus Iudaeos, e scriptis horum veterioribus armis petitis, defenderunt: vt *Raym. Martinus* in Pug. Fidei; ex eo *Galatinus* de arcanis Cathol. veritatis; *Schoetgenius* in Iesu Messia, aliique.

⁵⁰) *Per seua vel posteriora tempora* (באחרית הימים) et quae alia sunt similia.

mente prae aliis habuisse; parum cogitantem de difficultatibus chronologicis, quibus inter nos sunt qui ista putent Danielis eloquia laborare⁵¹).
 His igitur litteris vaticinis, ad quas et nobis patet aditus, ea insint necesse est, quae Petrum censeamus et ipsum inde repetiisse, et legentes a se accipi, quo traderet modo, voluisse: nisi quis forte voluerit cum *H. Grotio* conuicere, plura olim, quam quae litteris Hebraicis tradita nobis sint, oracula diuina sincera apud Iudaeos extasse, a viris sanctioribus in

⁵¹) v. *Eichhorn*, V. ill., l. c. Vol. I. p. 788 seq. In quinto Vol. III. h. Bibl. quem hisce diebus nactus sum, Fasciculo singularis extat huius vaticinii tractatio, qua eximiam vir laudatissimus operam dedit, ut pro ingenio suo et acumine vatem doceret non Messiae, sed *Antiochi Epiphani*s aetatem, huiusque facinora contra publicum religionis Iudaeorum cultum perpetrata, spectasse; atque totam istam de 70 septenniorum rationem aliter, quam pro more adhuc erat, concipiendam esse soluendamque. Eam enim vult pro *artificiali quadam, et velut cabballistica, 70 annorum*, quos *Ieremias vaticinando praefinisset, interpretatione* habendam. Equidem profecto studium, quod v. ill. huic rei exactius excutiendae imposuit, suo iure laudandum censuerim, et certe ipsam, quam secutus est, rationem caeteris huiusmodi praefereendam, ac ulteriori omnino examine dignissimam. At eandem tamen multum abest ut omni difficultate liberam putem. Sed de hoc huius loci non est pluribus dicere.

in vsum adhibita; nec, quod in scriptis N. T. memoretur vaticiniorum, omne id scripto, sed nonnihil tantum ore, traditum fuisse⁵²⁾.

Quamlibet, quae exempli caussa vir tantus adfert, minus ea ad probandam coniecturam valeant⁵³⁾, eadem tamen illustrari quodammodo poterit e quodam *Κηρυγματος Πეტρε*, scripti apocryphi, loco memorabili⁵⁴⁾. Vbi

D 3 quidem,

52) "Pro certo haberi debet, multa apud Iudaeos vatium veterum oracula conseruata fuisse non scripto, sed memoria, quanquam postea, qui a parentibus acceperant, ea priuatim annotarunt: vnde factum est, vt ea oracula in libris ab Esdra digestis non extarent," etc. *H. Grot.* ad *Matth.* 27, 9.

53) *Ibid.*

54) Locum huc proxime spectantem seruanit, vt multa, *Clemens Alexandrinus* Strom. VI. vbi sic habetur: Οθεν και ο Πητροσ εν τω Κηρυγματι περι των Αποσολων λεγων, Φησιν· Ημεις δε αναπτυξαντες τας βιβλεσ, ως εχομεν των προφητων, α μεν, δια παραβολων, α δε, δι αιγιματων, α δε, αυθεντως και αυτολεξει τον χρισον Ιησεν ονομαζουτων *)· ευρομεν και την παρσιαν αυτε, και τον σαυρον, και τας λοιπασ κολασεισ πασασ, οσασ εποιησαν αυτω οι Ιουδαιοι, και την εγερσιν, και την εις θρανεσ αναληψιν, προ τε Ιεροσολυμακτηθηναι (noua Hierosolyma ad *Apocal.* 21), καθωσ εγεγραπτο ταυτα παντα α εδει αυτου ποιειν, και μετ αυτου (mel. αυτα) α εσαι ταυτα εν επιγονοτεσ, επισυσταμεν τω Θεω, δια των επιγεγραμμενων εις αυτον. v. *I. E.*

Grabii

quidem, inter plura aliena, illud prorsus fabulosum refertur, nimirum, Apostolos, quicquid habuerint de veritate christiana persuasi, omne id tulisse acceptum peruolutis prophetarum oraculis, quibus recognoscendis deprehenderit, quae, quantum scire licet, genuina vatum scripta nesciunt.

Cur autem pluribus attribuit Apostolus (ερευνωντες εις τινα etc.) quod vni Danieli competat?

Nihil difficultatis est. Nam de prophetarum studio circa res, et aetatem, Messiae *summatim* loquendo, facile potuit, quo, quod omnium commune fuerat, tradiderat numero, eodem et singulare istud, *de tempore scrutando*, priuum vni aut alteri, adicere.

Afferto enim, plures de salute Messiana fuisse προφητευσαντας, quo doceret, quantae id fuerit illis curae, insuper admonet, eosdem
vel

Gabrii Spicil. Patr. P. I. p. 329. *If. Beaufovre*
Remarques sur le N. T. T. II. p. 214.

*) Haec et quae sequuntur, etsi minus probaveris, tamen sunt indicio, quae plurimum tunc temporis hominum fuerit persuasio. Hoc enim scriptum ακουρνον, cum ad aetatem vel I. saec. exeuntis vel II. incipientis haud temere a viris doctis referatur, tradita utcumque comprehensisse credas, quae a cummuni, aut vulgari, multorum primi aevi Christianorum sententia non omnino aliena essent.

vel de tempore eius scrutando fuisse sollicitos. Quod ni de omnibus, de vno certe, alteroue, constare aliquatenus poterat ⁵⁵).

Ad Verba: εἰς τῶα ἢ ποῖον καιρῶν etc. quod attinet, sunt, qui τῶα ad articulum, ποῖον ad qualitatem vel conditionem temporis referant: quo vel quali tempore, explicantes: qua annorum hebdomade, (ad Danielis hebdomadas respicientes,) et quali populi ac reipublicae Iudaeorum flatu, siue libero, siue seruiente vel semilibero; post quot annos, et quo mundi aut rerum Iudaicarum flatu ⁵⁶).

Alii vtramque vocem ad vnam temporis articulorum diuersitatem, hocne an illud sit tam-

D 4

pus,

⁵⁵) Potuerit de pluribus *sumere* quasi, quod certum de vno saltem erat, nisi vsu veniret saepius, vt, cum pluribus communia et propria singulis, si vnus sint generis, eodem orationis nexu referenda sunt, omnibus generatim tribuatur, quod non nisi de vniuersis, minus de singulis quibusque, valeat. Id quod videtur illo potius, quod *I. Wesselius* coniecit, Petrum non solum ad priuatum prophetarum studium, verum etiam ad scholas propheticas spectasse, vt in quibus vaticinia de Messia exposita, et calculi temporis de aetate eius ducti fuerint. v. *I. Wesseli* annotat. ad h. l. in *Criticis Anglicanis*.

⁵⁶) Ita *Erasmus*, *Grotius*, alique antiquiorum et recentiorum. τῶο καιρῶς illis est articulus temporis hic ille; ποῖοσ καιρῶσ, temporis, quas dicunt, *circumstantiae*, cuiusmodi saepius a vaticiniis

pus, applicant ⁵⁷). Quod potius videtur, propterea, quod alias quoque videmus dictionem *τις η ποιος* eadem ratione vsurpatam ⁵⁸): vt taceam, quod illa interpretatio nimium prae se ferre videtur subtilitatis ⁵⁹).

III.

Istud vero ΠΝΕΥΜΑ ΧΡΙΣΤΟΥ, quod dicitur *προμαρτυρομενον τα παθηματα κ. τ. λ.* intelligi possit:

I. πνευμα

tibus memorentur, vbi nunc *conditionem* populi, scepro et libertate destituti, nunc templi Hierosolymitani statum (vt Hagg. 2. Mal. 3.), nunc alia describantur, ad distinguendum certis notis *το ποιον* temporis.

⁵⁷) v. Wolfii Curas; Tr. Zachariae Paraphr. p. 59. Pott l. c. ad h. l. Voces *η ποιον* ab aliquo adiectas, vt constaret, *τις* idem hic esse ac *quale*, temere coniecit Zach. Piercius; qui et factum hinc putat, quod eosdem nec Syrus, nec Coptus expresserint. De Copto, cuius nulla mihi copia, non dicam. Syrum autem, *εις τινα η ποιον καιρον*, quo tempore (*למתי*), reddentem, non raro plures, quae similes potestatis sunt, voces *vna*, constat, exprimere solitum. Ita pro *εξεζητηται και εξηρευνηται* non nisi *עמדו*, inquiserunt, habet. Aethiops: *quali temporis* (momento) *et quando*. Arabs: *cuinam* (in quem hominem, *εις τινα*,) *aut quo tempore*.

⁵⁸) Marc. 4, 30.

⁵⁹) *Circumstantiae temporis* ad istud scrutandi eius studium omnino pertinebant, quia nullum tempus

1. πνευμα Θεου. *spiritus Iehouae*, simpliciter ⁶⁰);
 2. πνευμα, *quale in Christo fuit*, simile ei, quoductus ipse Christus ⁶¹);

D 5

3. πνευμα

pus est, nec inuestigatur tali ratione, absque circumstantiis eius vna intelligendis: sed nihil cogit, vt vocula ποιον eas indicatas putemus.

⁶⁰) Vti gloria Iehouae (כבוד יהוה, δοξα κυριου) Iesaiiae visa (c. 6) δοξα κυριου (itidem Κυριου) Iohanni dicitur (Ev. 12, 14. αυτη enim h. l. non de Deo simpliciter, sed de Christo, ex mente Iohannis, ob contextum orationis, interpretandum videtur. v. et v. 42.): ita *spiritus Iehouae* ab Apostolo, vt quaecunque diuinae institutionis, vetera et noua, ad Christum, ceu Κυριον, referente, dici poterat. Huc inclinat quoque V. C. Eichhorn, censens, πνευμα χριστη et hoc loco, et I Pet. 3, 18. (vbi idem in Noa (τω κηρυττη της δικαιοσυνης) fuisse, vel ipse potius Christus suo πνευματι per Noam locutus, dicatur,) de *spiritu Iehouae* simpliciter intelligendum. Isque hanc rationem reddit, quod, quae V. in T. de Deo dicantur, eadem in N. T., ex communi tunc ratione sentiendi, ad Messiam referantur; vt I Cor. 10, 2-6. cf. *Bibl. Vol. III. p. 532-533.*

⁶¹) Vt ὁ ονειδισμος του χριστη, quem cum Moses, μειζονα πλετον ηγησαμενος των εν Αιγυπτω θησαντων, dicitur sustinuisse, (non ob Christum, sed eadem mentis comparatione, ad exemplum, vel ad morem, Christi, multa post saecula futuri (Hebr. 11, 26): tum bonus quisque Christianus perferre iubetur. (Hebr. 13, 13.) Et Paulus Apostolus πνευμα χριστη in sincero quoque Christiano ponit, h. e. tale quale deceat Christi participem, quale fuerit Christi ipsius.

3. πνευμα, quod a Christo datum est; vel et ipsius Christi ⁶²);
4. πνευμα, Christum spectans, Christi res praeparans; de Christo futuro testificans ⁶³);
5. πνευμα, vicem Christi in prophetis gerens ⁶⁴).

Rationes *secunda* et *ultima* hic locum non habent. *Non illa*: quia alienum erat, πνευμα prophetarum, ob qualemcunque similitudinem moralem, πνευμα Χριστου appellare.

Etenim, quamvis hominibus V. T. sanctioribus eadem tribuatur, quae et Christianis inesse

⁶²) Vt πνευμα Θεου, vel πνευμα κυριου, spiritus est diuinitus concessus, a Deo profectus: ita πνευμα Χριστου possit esse, qui a Christo venerit, quo Vatum animos hic duxerit.

⁶³) Quemadmodum πνευμα ΑντιΧριστου (I Ioh. 4, 3.) est πνευμα Antichristo seruiens, eum praeparans atque inducens: sic πνευμα Χριστου (Messias - Geist) intelligatur id, quod res Christi praeparet vel ministret.

⁶⁴) Πνευμα Θεου vbi adest, ibi Dei vicem gerit; et πνευμα τῆ Πατρος, idem τῆ υἱος, instar παρακλητου et locum sui tenentis, vel legati a se, ad vice sua fungendum, a Seruatore promittebatur Apofitolis. — Quae Dei vicem gerunt, sunt vel virtutes siue principia intrinseca et inuisibilia, quae ἁπλῶς πνευμα vocantur simpliciter, ratione qualicunque, eiusque effectus ενεργησεις, ενεργηματα etc.; vel species visibiles qualescunque, quibus nomen Angelorum. Animo diuini et sanctiori praeditus, habet Deum vel Christum in se habitantem etc.

esse debeat, *πίσις*, aut *virtus moralis*: tamen non potuit prophetarum spiritus eadem veritatis ratione *πνευμα χεις* dici, quia Apostolorum, et Christiani cuiusque genuini, *principium sanctius* hoc nomine venit.

Nec, quae sequuntur, sensum istum admittunt. *Πνευμα* enim Christi ab *effectu suo* declaratur: *προμαρτυρομενον τα εις χεισον* etc.

De *ultima* autem ratione nihil opus est dicere, quoniam *πνευμα χεις* non nisi in Apostolis *vice Christi*, eiusque vice non prius, quam ipse ad Patrem rediisset, functum dicitur. In V. T. vero *πνευμα Θες*, vel spiritus Iehouae, vicem Dei gessit. Quem (Spiritus Dei) ni velimus hic intellectum simpliciter, quod quidem (etiamsi re non multum intersuerit,) minus tamen ad proximam, quod attinet, *πνευματος* non *Θες*, sed *χεις* appellandi rationem, minus cogitandum videtur: inter *tertiam* et *quartam* eligendum est.

Illam, quam subiectiuam dicamus, rationem fuere inter veteres pariter atque recentiores, qui amplecterentur, volentes *principium vaticinum* dictum *πνευμα χεις*, *sive* ob id, quod a Christo, uti *λογος*, effectum et prophetis concessum sit ⁶⁵); *sive*, quod Christus, qua

⁶⁵) Ita Clemens Alexandr. (Quis diues etc. c. 6.) Christum dicit *τον Κυριον παντος προφητις πνευματος*.

qua Dei Filius, Numinis *proprii* (tutelar) vice inter Abrahamidas functus, *suo ipsius spiritu* animos duxerit prophetarum, futura iis reuelando ⁶⁶).

Sed cum veterum illa ratio a proposito Apostoli aliena videatur, haec autem recentiorum parum certa ⁶⁷), minusque obuia, quam

vt

ματος. Eundem, qua τον λογον simpliciter, Iulianus Mart. (Apol. I.) ο δια των προφητων προειπον τα μελλοντα γινεσθαι. Et Barnabas (Ep. c. 5): "Prophetae a Christo habentes donum, in illum prophetarunt." Antiquiorum Patrum, Platonicorum praeferim, haec ratio communis fuit.

⁶⁶) "Sed illud etiam pia curiositate sciscitati sunt a spiritu Christi, qui iam tum illis arcano afflatu significabat, quid esset passurus Christus, ac mox ad quantam gloriam euehendus." Ita Erasmus in Paraphr., cuius et Annotat. videantur.

Tr. Zachariae, v. b., autem ad locum hunc suae Paraphraseos: Ob dasienige, was Christus damals durch seine Begeisterung ihnen offenbarte, indem er ihnen die Leyden, so Christus erdulden sollte, nebst den herrlichen Verrichtungen desselben, welche darauf erfolgen würden, zum voraus kund machen ließ." haec admonet: Der Geist Christi kann ohne Zwang nicht anders erklärt werden, als von der göttlichen Offenbarung, welche er als Sohn Gottes bereits damals den Propheten ertheilt, da seine Beschreibung als des ehemaligen Schutzgottes der Israeliten, welcher sie daher auch durch Propheten belehrt, aus andern Stellen bekannt genug ist." v. Kurze Erklär. der kathol. Briefe. Göttingen. 1776. p. 59 et not. 5.

⁶⁷) E locis eiusmodi, vt I Cor. 10, 4-6. minus eam probauerim.

vt Petrum hic de ea cogitasse pro certo statua-
mus ⁶⁸); neque etiam de Seruatore constet
vnuquam professo, se habendum pro eo esse,
qui prophetas vltro antiquitus instruxerit: mi-
hi quidem potior videtur sententia eorum, qui
πνευμα χειρισ in prophetis de obiecto dictum ma-
lint; vt sit *πνευμα* res Christi praesignificans,
ob Christum concessum, res eius praenuntians fu-
turas.

Hanc rationem, vt per se facilem, eo ma-
gis putem sequendam, quod Petrus *πνευμα*
χειρισ, quale fuerit, satis videtur designasse per
attributum ei, dicens *προμαρτυρομενον τα εις*
χειρισ et *παθηματα* et *δοξασ*. Quae verba cum
significant eius obiectum et effectum,
patet, notionem appositum *χειρισ* ad rationem non
πνευματος, tanquam subiecti, sed eius, quod
eidem attributum est, definiendam esse.

IV.

⁶⁸) Non omnino equidem negauerim, quae V. in
T. *Iehouae*, vel Deo simpliciter, tributa leguntur,
ea partim a N. T. scriptoribus ad Christum rela-
ta esse, vt Filium Dei et coelestem Israelitarum
Ducem, ob quod vel vtriusque (Dei et Christi)
nomen *τς υψις* commune sit. Sed hic nihil ne-
cessitatis, aut certae rationis, eius admittendi,
subesse video. Ad scriptores autem N. T. quod
attinet, alii eos volunt istud applicationis recte
fecisse, arbitratos ex ipsa veritatis ratione: alii
minus hoc cogitandum volunt, sed vna istius
temporis ita ferente opinione ductos censent.
Quae hodie plerosque tenet sententia.

IV.

Iamque, his, positis, restat, vt quaeramus:

1. quid πνευμα μαρτυρομενον;
2. quae τα εισ χριστον παθηματα et δοξαι; et
3. vnde constiterit Petro eorum, quae dixit, veritas.

1. μαρτυρομενον dixit πνευμα illud, quia propheticum, quia in prophetis (εν αυτοισ) fuit, de rebus futuris per vates testatum.

Nam verbum simplex μαρτυρειν (testari simpliciter, testificari, adserere, profiteri quodcumque et quomodocumque se habens,) cum f. scriptorum vsu satis frequenti de causa praefertim rei Christianae agenda, confirmanda, adserenda, contestanda et probanda modo quocumque, adhibeatur; idque non modo quoad Apostolos et quoscumque rei Christianae profitentes, (vt quorum erat animo πισευειν, ore et factο μαρτυρειν, vtrisque κατ' αληθειαν:) Sed vel ipsos quod attinet prophetas, quatenus de rebus Christi futuris praetestificati feruntur⁶⁹):

nil

⁶⁹) Ioh. 1, 7. 8. 15.; 3, 26; 15, 27. Paulus rem Christianam e V. T. probans (Act. 23, 11), μαρτυρομενος dicitur μικρω τε και μεγαλω, εδεν επις λεγων, ων τε οι προφηται ελαλησαν κ. τ. λ. cf. et 26, 2. Prophetae autem Christo cuncti appellantur μαρτυρησαντες Petro. Act. 10, 43; et η μαρτυρια τε Ιησε εσι το πνευμα της προφητειας. Apoc. 19, 10.

nil est, quod dubitemus, πνευμα προμαρτυρο-
μενον, de eadem re, etsi futura, dictum, illud
esse, quo ducti vates res Christi praesignificaue-
runt futuras.

2. Obiectum autem, siue materia, istius
προμαρτυρησεως dicuntur τα εις χειρον παθηματα
και αι μετα ταυτα δοξαι. Nimirum, praesigni-
ficarunt illi, fore, vt non nisi multa ante per-
pessus Christus ad destinatas ei perueniret
δοξασ.

Etenim, τα εις χειρον παθηματα etc., siue
απαβησομενα cum H. Grotio subintellexeris, siue
alio vtunque modo suppleueris, non alius,
quam Christi, possunt esse aut intelligi. Quod
vel per se patet; et alio huiusce epistolae loco
(c. 5, 1.) confirmatur: vbi idem se testem dicit
των τε χειρων παθηματων, και της μελλουσης απο-
καλυπτεσθαι δοξης 70).

Iamque, cum, quae παθηματα dicantur,
nihil obscuri habeat, conuenientibus interpre-
tibus, diuersa, quae sustinuit Christus, afflictio-
num genera, ad mortis vsque supplicium, in-
telligenda esse; quaeritur de δοξαισ.

Id quidem nihil dubii habet, ex vsu s. N.
T. scriptorum, δοξαν imprimis denotare statum
et

70) Cum de rebus in facto positis agitur, μαρτυς
τινος dicitur, qui de re quae gesta testatur, μαρτυς
εις τι, testans de re futura. Hinc Petrus τα εις
χειρων etc. maluit, quam τα τε χειρων, dicere.
Sic et v. 9. εις υμωσ vt de re adhuc futura.

et *conditionem* diuiniorem, gloriosam, coelestem, immortalem, siue de Christo, qua diuina polleat virtute et potestate ⁷¹⁾, siue de fociis eius vel *κωνανοισ*, vsurpetur ⁷²⁾.

At *δοξαι*, numero plurali dictae, appellari hic videntur *plures euentus gloriosi*, vnde velut e partibus distinctis, et variis successuum discriminiibus, integra Christi *δοξα* eluceret, h. e. eius potentia, dignitas virtusque diuina.

Atque secuta *δοξαι μετα ταυτα* (*τα παθηματα*), non possunt esse, nisi quae a probatoribus interpretibus huc referuntur: videlicet *resurrectio, reditus ad Patrem, emissio Spiritus sancti, vocatio gentium*: quae secuta passiones, et natura sua ita comparata sunt, vt certissimo iudicio essent incomparabili Iesu Christi dignitati; ideoque ab Apostolis in documentum eius rei vtique feruntur memorata.

Sed ne quis putet, *δοξασ χρισ* de rebus dictis minus intelligendas esse, quam de *μελησιν*

⁷¹⁾ Suam ipsius Christus ostendit *δοξαν miris factis* (Ioh. 1, 14; 2, 11; 11, 40.): a Patre expetit eandem, quam ante mundi primordia habuerit (17, 5. 22.); plenissima *δοξα* et absoluta vtitur ex ascensione ad coelos, post *παθηματα θανατα* (Hebr. 2, 9-10); *εν δοξη* rediturus est ad iudicandum mundum (Matth. 25, 31. Tit. 2, 13. 1 Pet. 4, 13.); est ipse *ο Κυριος της δοξης* (1 Cor. 2, 8.).

⁷²⁾ Rom. 8, 18. Col. 3, 4. 1 Pet. 5, 1.

λεση αποκαλυπτεσθαι δοξη (I Pet. 5, 1.), siue de αποκαλυψει της δοξης αυτης adhuc expectanda (I Pet. 4, 13.): monendum, hanc, etsi Petrus non omnino semotam velit, non tamen proprie et vnice intelligi.

Nam δοξαι non abs re videntur numero plurali positae: *dein*, ista, cuius μελλεσθη αποκαλυπτεσθαι se sperat Apostolus participem futurum, ipsa quidem et Christi erit, at communicanda cum συνδοξασθησομενοις⁷³), nec alio modo ea intelligitur.

Hinc inde manifestum, πνευμα χρις προμαρτυρομενον τα εις χριτον παθηματα και τας μετα ταυτα δοξας id fuisse, ex mente quidem Apostoli, *principium propheticum*, quo ducti viri diuiniore contrarias Christi vices, duplicem sortem, calamitosam vnam, gloriosam alteram, praedicerent, quamuis singulas vtriusque generis partes minus compertas haberent.

3. Vndenam autem Petrus ista tam singularia, de quibus vt rebus certis, et veritate constantibus,

⁷³) Επερ συμπασχομεν, ινα και συνδοξασωμεν — εν αξια τα παθηματα τε νυν καιρσ προσ την μελλεσαν δοξαν αποκαλυφθησαι εις ημασ. Rom. 8, 17-18. αλλα παρωσ κοιωνειτε τοις τε χρις παθημασι, χαιρετε, ινα τε και εν τη αποκαλυψει της δοξης αυτης χαιρητε αγαλλιωμενοι. I Pet. 4, 13.

stantibus, videtur locutus, *comperta* habuit? ex communi sententia? an ratione Christo tradita? an ex intellectu vltro argumento prophético?

1) Id quidem constat, communem fuisse Iudaeorum aetate Christi sententiam, prophetas de persona et rebus Messiae vaticinatos. At *παθηματα* eius, et hinc secuturam gloriam, ab iisdem esse ita, et in hunc finem, praesignificata, vt eloquia eorum ad *Iesum* transferenda essent, et in hoc completa possent intelligi: id illis arridere eo minus potuit, quo per se longius abessent ab agnoscendo Messia, non nisi per *παθηματα* glorificando.

Quae tamen eadem fuit communis vti- que Apostolorum sententia, et doctrina perpetua. Quam igitur, cum neutiquam cogitandum sit, ab ipsis primum inuentam esse, et excogitatam vltro; ab ipsa inde I. C. institutione exortam, necesse est, discipulisque traditam, putemus.

Quo posito, sequitur,
2) et Petrum suam de hac re persuasivam communis Praeceptoris traditioni, ceu fonti, acceptam tulisse.

Si quidem hoc, non omnia valemus, et singula eius traditionis vel momenta, vel argumenta, enumerare, adeoque nec plene diiudicare.

Nam plura, fieri potuit, vt traderentur, vsque venirent, quam quae nobis vel scire liceat, vel aliqua vtcunque ratione conicere.

Attamen, cum, quod alio tempore docendi facultas erit, Christus non summatim tantum hanc causam feratur asseruisse, sed singulatim quoque exposuisse, qua ratione, vbi, et a quibus factum id esset: quae et qualia essent ista praedicta: quo modo, qua veritate et ratione in se complenda, aut completa: sequitur, omnia, quae huius causae sunt, *ad argumenti prophetici proprietatem*, et *eam rationem*, qua Christus id, recognoscendo, ratum fecisset, recognitique rationem reddidisset, deputanda esse.

Atqui, si fas est sumere, recte fuisse I. C. intellectum *argumentum* istud *propheticum*, veramque ab Ipso, et intelligendi eius et adhibendi, *rationem* discipulis traditam: certe fatendum est, eandem haud adeo irritam debuisse, quin per se certam potuisse ⁷⁴), esse, etiam si

E 2

nos

⁷⁴) Non solum ipsi habuere persuasam, sed et aliis reddere: quod vtrumque vix videtur potuisse fieri, si inter *sinceram*, quam laudant hodie, interpretandi vaticinia de Christo rationem, et eam, quam vsus tulit, et doctrina Apostolorum, tantum interesset, quantum non desunt hodie, qui interesse velint. Non Petrinae solum, sed et Paulinae, ad Iudaeos demonstrationis id erat, vt supra diximus, commune et perpetuum argumentum,

nos quidem pro nobismet ipsis, ut propria eius destituti notitia, unde rei istius veritas constaret, minus eam perspectam habuerimus, et ob hoc etiam, quoad propriam scientiam, minus certam.

Enimvero, utcumque hoc sit, possumus tamen vel ipsi quodammodo persuasum habere, re ipsa factum a prophetis, quod tribuendum illis censuit Apostolus.

Etenim notissima illa, quae a probatoribus s. litterarum interpretibus huc relata sunt vaticinia ⁷⁵⁾, si argumento suo, rectius perpenso, cum isto πνευματι προμαρτυρομενω τα comparentur, intelligatur profecto, non solum in totum vates de rebus Messiae elocutos, sed etiam singularia quaedam de duplici eius statu, et conditione, ita praenotasse, ut, quae prodidere, ea rectius ad παθηματα illa et δεξια referri queant, modo non exigamus singula quaeque ab illis vitae I. C. momenta expressis verbis, iisque maxime propriis, descripta; nec omnino negligamus, quod Grotius, virtantus, bene monuit, praecipuum vaticiniorum finem fuisse, ut post rerum demum euentum intelligi-

tum, debuisse Christum ita affligi, et post mortem demum in vitam redire, tantamque ad gloriam euehi.

⁷⁵⁾ Plura Iesariae capita; Danielis 9, 24-27; Psalmorum aliquot, et quae alia sunt huiusmodi.

intelligerentur perfectius, indeque pateret Dei et praescientia, et consilium dirigendi cuncta ad finem ab ipso prouisum.

IV.

Itaque, vt, quae singula adhuc vsque dedimus exposita, eorum iam summam ducamus, *tria* potissimum sunt, de quibus nostro Apostolo, ab omni vel eruditionis, vel tricarum Talmudicarum, specie tantum quantum remoto, vel maxime interfuit tradere.

Primum pertinet ad salutis Christo partae *naturam*, ponendam in *σωτηριος ψυχων*, rebusque non caducis, sed in aeternum valituris.

Secundum ad eius fundamentum et certitudinem: vt cuius ratio non in nouo aliquo casu, aut forte, cernatur; sed in diuino prouiso et patefacto. Ad quam eandem omnis cuiusque temporis protenderit institutio diuinitus facta; quamque adstruendam prisci vates, Numine edocti, sua et doctrina et eloquio iussi sint.

Tertium ad tantae rei, et pro se cognoscendae melius, et significandae, quantum facultatis esset, impositum a prophetis studium.

Fuisse enim, qui de paranda olim, Duce Seruatore, insigniori multo salute, non in to-

tum modo, quantum quisque diuinitus instructus, locuti sint: verum etiam de conditione, et tempore, qualis esset et quando futura, inquisierint studiosius: ad hoc edocti, ad seriora vsque N. F. tempora reseruatum istud a Deo esse beneficium, fore autem, vti Christus per afflictus ipsi subeundos ad summas euehatur glorias.

Haec tria, quae diuisim posita, ratione et eloquii, et argumenti, habita, probe erunt discernenda.

Sunt quidem singula ex propria Apostoli sententia, at nec eadem ratione, nec fundamento eodem, prolata.

Primum ad doctrinae et cognitionis Apostolicae absolutam veritatem, rerum euentis demum patefactam, pertinet.

Secundum quod argumenti habet historici, id ex fide dictum est traditorum diuinitus; ex inductione, quam dicunt, vel complexione et comparatione scriptorum vaticinorum: neque tamen priuum adeo Petro, sed ex communi I. C., et Apostolorum caeterorum, doctrina.

Vltimum totum est historicum, et hoc prolatum modo, at conuenienter institutioni a I. C. acceptae.

Possumus autem vniuersi a nobis explicati argumenti haec quasi lumina ponere:

1. Vltimum finem Christianae fidei esse *σωτηριαν ψυχων*, cuius spes certa iam iamque parata, veritatis autem complementum futurum.
2. Huc tendere omnem diuinae institutionis rationem, siue inchoatae eius per vatum informationes, atque productae, siue per I. C. absolutae.
3. Extitisse olim in gente Israelitarum diuinitus prophetas, quibus aliqualis salutis, duce Christo parandae, contigerit praesensio: illis patefacto, quae spectarent potissimum personam et res eius, in quo omnia posita essent; inprimis autem calamitosam primum, dein gloriosam, eiusdem conditionem, quam vtramlibet praedixerint.
4. Iisdem accidisse, vt, quas pro se certas habuerint res futuras, earum et tempora inuestigarent: quaesito, qualicumque demum tempore id quod praesagiissent, futurum esset.
5. Ex ratione diuina, vatum informationes non alio tendere, nec praestruxisse aliud, quam quod I. C. suis Apostolis docendum iusserit. Sic *veritatem doctrinae de rebus a Christo gestis*, lumine velut reflexo, illa vatum praeuifa et praedicta *illustrare*, eaque *confirmare*,

mare, vt rata diuinitus, non aufa lubentius, aut temere effusa: haec autem et illam pariter *probare*, velut rem a faeculis Deo prouisam, atque inductam.

II.

Sententia Petri ad placita nouissima comparata.

Verum enimvero, quae hactenus ex Petri sententia de Prophetarum studio proposita sunt ⁷⁶⁾, eadem cum in duobus maxime pugnent cum nouissimis aliquorum placitis: uno concernente diuinam, an humanam, vaticiniorum V. T. in totum originem: altero, verum, an opinatum, eorundem ad N. F. rationes nexum et habitum: de hac ipsa pugna breuissimis adhuc restat dicendum.

I. Quemadmodum ex rata virorum sanctiorum sententia communi atque perpetua, vaticiniorum quicquid sponte *non humana*,

⁷⁶⁾ Notiones vocum *προφητης, προφητειαι, προφητευσαι* etc., de quibus non opinacione, e tali quali traditionis litterariae farragine hausta, sed ad ipsam virorum sanctiorum sententiam, h. e. vere definiendis, hic maxime agebatur, aetate Christi, quod iam supra monuimus, non minus propriae, et certae fuerunt, quam easdem nunc cum multis aliis s. scripturae propriis, nouis identidem, recentiusque excogitatis, siue rationibus siue opinionibus inductis, ambiguas reditas esse atque incertas constat.

na, sed *diuina*, primo ex ortum proditumque est: praesertim id genus, quod Christum spectat promissum diuinitus, et praenotatum: sic hodie volunt omne illud genus, originatione sua, non diuinum, sed *humanum*, esse; ex propria mentis vaticinae inductione, vel optione, conceptum utcumque.

II. Illis arbitrantibus, vaticiniorum *summa*, ex ratione diuina, ad I. C. tendit; non ad alium, nec etiam nullum: in hoc completa sunt omnia, adque finem perducta; non in alio, nec etiam nullo.

At secundum hos, inter praedicta V. T. de Messia, exemplum extat nullum, quod iure, et ratione iusta, ad Christum *verum* referatur: cunctis iis non nisi regem, quem dicunt, *terrenum* (rerum humanarum imperium ciuili modo capeffiturum) optantibus, portendentibusque, vel expectandum utcumque iubentibus; eumque non tam ex consulto diuinitus, quam sponte propria constituendum, et pro re nata creandum. Qualem tamen iidem fatentur nunquam comparuisse.

Quantum vero ad *usum*, quem s. scriptores fecerint de vatum eloquiis, eum haudquam verum esse, nec ratione constantem; sed irritum, positumque *aut* in proprio transferentium minus firmo persuasu; *aut* in aliquali accommodatione, siue (n

ipforum adhibentium assensu, vna pietatis et persuasionis causa, et specie, facta.

Sicce statuentes Iesum, volunt, Iohannem, Petrum, Paulum etc., *sive* ipsos persuasionem habuisse vaticiniorum ad I. C. rationem, et ex hoc persuaso, vtut defecto a sententiae primaeuuae (historicae, localis) veritate, locutos: *sive* pro se quidem fuisse a tali sentiendi modo omnino alienos, scitum habentes, iure, et constante veritate, eiusmodi haud posse translationem fieri; at periclitandam tamen, *παρανεσεως* et *ελεγχς* gratia, quo infensiores rei Christianae Iudaeorum animi eidem vtcunque conciliarentur, et hac illusione ducti, nil dubitarent de veritate siue animi dicentium siue dictorum.

Quo posito, sequitur, *primo* Christum non alio, quam tradito, modo, nec alio consilio, ista ad suos verba fecisse, quam, vt his persuaderet et sui animi veracitatem, et rationis propositae veritatem: *deinceps*, Apostolos, Magistri secutos exemplum et sententiam, omnem dedisse operam, vt audientes de se, et vero animo et vera vti que locutis, redderent vtcunque persuasos.

Ad *diuinam* quod attinet vaticiniorum *originem*, siue ex toto, siue ex parte, quae Messiam spectent, sumtorum, primo tenendum est, irritum omnino, peruersumque, esse aliquorum pariter dicendi ac sentiendi modum, qui ni-

hil dicant interessere, diuina, an humana, vaticinia fuerint origine: vt quae diuina appellentur, non minus esse diuina, quam si non sint, quod dicantur; *diuinum* enim esse, quicquid vel sponte humana, sine vlla diuinitatis ope requisita, effectum fuerit ⁷⁷).

Quod sane idem est, ac si quis diceret, aliquid non diuinum aequè esse diuinum, ac si esset diuinum, etiamsi non sit: minus verum ita esse, ac si esset verum. Haec prodigia quis ferat! tantam verborum simul et sensuum perturbationem! id in caussa, vbi minime omnium locum habere debeat. Tali enim confusione tantum abest, vt proficiatur quicquam, vt peruertatur potius, quicquid eius est ⁷⁸).

Atqui

⁷⁷) v. Stephani *Gedanken über die Entstehung und Ausbildung der Idee von einem Messias*. (Nürnberg, 1787), in Eichhornii *Bibl.* Vol. I. p. 735 seq.

⁷⁸) Nemo eorum, qui nolint verbis ludere, effici diuinitus dicet, quod lege vel naturae vniuersim, vel spontis humanae, efficitur. Nec ea nobis hic quaeritur *causae* et *rationis diuinae* veritas, qua non prophetae alicuius, sed hominis quicquid est, ad vsque sandalia et pallium, dicatur diuinum. At enim quo sensu imbuti scriptores s. huic argumento diuinitatem vindicent; quas vocum diuini et humani informant notiones, de effectuum singularium causis propriis loquentes, tam manifestum est, tamque definitum, vt qui illas non probandas ducat, contrarium

Atquæ vt tanta res per se agatur, eius sententiae, quae omnem hic negat diuinitatem, vnas oportet considerari rationes, quibus probatam eam velint, aut commendatam vtcunque reddere studeant: sepositis iis, quae vel in opinantium studio sunt posita, vel a commodis repetuntur, incommodisue, inde secuturis. Negando enim per se aliquid conferri ad meliorem rationis, scriptorumue vaticinorum, vsum, id nemo erit, qui contendat.

Quod tamen sunt, qui facilius in hanc partem ferantur, inde est, quod velint, non dico, vt res Christiana aliquid capiat detrimenti, nec vt rei diuinae veritas (cuius fides sustentatur Christi et Apostolorum ratione et auctoritate,) aut diminuatur per se, aut tollatur omnino: sed vt cuncta s. litterarum argumenta ad humanae pro tempore rationis placita reducantur: non relicto, quod simplici fide habendum: sed potius, quantocunque fieri possit opere, efficiatur, vt traditorum quodque intra humani captus terminos finiatur.

At vero, quanti putetur hoc studium, tanti valere nec potest, nec debet, vt, neglectis, quae rerum sunt, rationibus, ad istam, quicquid fuerit, quasi normam praeiudicatam exigatur.

Nemo

rium debeat docere, at non confundere verborum discrimina, sensuumque rationes.

Nemo enim, si quid adhuc in diuinis re-
 ste habitum est, id statuerit pro mere humano
 propterea habendum, quod debeat nihil diui-
 num, omne humanum esse: sed potius exqui-
 ret, num quae sint, et quales, rationes, per se
 quidem firmas, idoneas et indubitatas, quibus
 adhibendis ista de argumenti diuinitate prophe-
 tici sententia aequae auferatur, quam contraria
 ei firmetur. Quo facto, certe neminem ultra
 pugnare aut velle, aut posse, putem, quoniam
 neminem, par est, nec fas, flagitare, quae non
 dentur, aut plura, quam adsint, maioraue, re-
 quirere.

Enimuero rationum illarum, quantum
 mihi pensitare licuit, nulla videtur ita compa-
 rata, vt, *quae oporteat, praestet.*

Quantumuis enim semel, vel sponte tua,
 dederis, fieri, quod animo coniciant, per se
 potuisse, tamen illas vix, ac ne vix quidem, ad
 probandum hocce το δυνατον sufficere intellexe-
 ris; et, plurimo, quod hic satis obuium, diffi-
 cultatis relicto, ne tacto quidem, tantum quan-
 tum abesse, vt deleatur penitus causae diuini-
 tas, aut funditus euertatur: quam eandem po-
 tius, vt per se aequae fieri concedendum est po-
 tuisse, ita firmatam insuper, ceu rem in facto
 positam, videas eorum fide et assensione, quo-
 rum ratio consciens hic nequaquam spernenda,
 et vero etiam rei documentis singularibus.

Quid ?

Quid? quod horum vaticiniorum qui voluerit, non dicam, euertere penitus diuinitatem, sed vel rationem ostendere, qua vnice humana, quicquid huiusmodi est, fieri potuerit, eum necesse sit, ante omnia, hisce quaesitis modo, qui sufficiat, respondisse:

1. Vnde factum, quod omnium gentium vnus Abrahamidis ratio, facultas et ius esset, *de aliquo Messia cogitandi*, eius expectandi, eique tribuendi, quae vix cadere vllum in hominem viderentur, nisi promissum pariter atque creandum diuinitus.
2. Vnde probari, quin demonstrari, possit, ideam Messiae, totamque eius spem, vt existeret, a propria religionis, ibi constitutae, forma dependisse minime; sed vel sublata ea, vel alia qualicunque posita, aequae potuisse, imo debuisse, oriri, perque saecula produci: aut, si hoc minus fieri potuit, (quod non potuisse per se manifestum est,) tamen absque promissionum, a quibus omnem illam spem et expectandi rationem constat profectam, diuinitate posita, exorituram fuisse.
3. Vnde factum, ideam istam ministerio virorum non nisi diuiniorum, pro tempore, exortam, seruata, excultaque esse; et vnde probandum, idem eosdem ministraturos

straturos fuisse, etiamsi vel nulla veri Numinis ope instructi utcunque, certique redditi, essent.

4. Vnde caussa reddenda, quibusque ex rationibus propriis (vniuersis, peculiaribus, singularibus,) explicandum, quod inter Abrahamidas non nisi paucissimi, iique admodum singulares homines, per plures aetates de Messia locuti sint; et quae expectarent inde, quae ipsi tribuerent, ea vix queant aut sibi constare, aut cogitari in vllius mentem ventura fuisse, qui sine potestate superne data, vna sua sponte, sic decretum voluisset.

5. Qui fieri potuerit, uti Iesus Christus persuasum haberet, nil sibi obuenisse, nilque obuenturum, praeter quod prouisum a Parente, vatumque ministerio praedictum esset: atque ita firmatus et mortem subiret, et redux in vitam idem repetitus affereret.

Vt taceam, quae addere facile esset, id tantum moneo, uti haec ex illa quidem sententia soluantur difficilius, ita quae contra est ratio, caussae diuinitatem suspiciens, eam non tanto implicatam videri difficultatum.

Nam, quae a modo huius rei vix explicando repeti soleat, eam, nil est, cur quis obmoueat, quoniam non omnis veritas ita cognosci-

cognoscitur aut probatur, ut una eius modum doceas, perspicendumque reddas.

Utcunque libuerit statuere, hoc certe negari non poterit, qui sumserit vaticinia et origine, et fine suo, talia fuisse, qualia ex Christi sunt et Apostolorum sententia tradita, ei facilius esse, idoneam reddere eius consensus rationem, qui inter *res summas* V. et N. T. manifestum obtinet.

Quod quaeritur *alterum*, est, sintne in V. T. scriptis vel vlla de Messia vaticinia, quae iure ad I. C. referantur, nec ne.

Esse, iam dixi, qui de I. Christi quidem et Apostolorum *assensu* non adeo, quam de *iussta eius ratione*, dubitent *); alios contra, eundem vel suspectum habentes, vel plane negantes, statuere, minus fuisse Christo et Apostolis propositum, V. T. vaticinia ex veritate (ceu vera ad I. C. pertinentia) adhibendi et in rem suam transferendi; sed quod huiusmodi ore protulerint, id ex ratione *populari* dictum esse, siue ex studio, ad communes sese vulgi Iudaici sensus *accommodandi* ⁷⁹⁾.

Quem

*) v. A. L. Zeit. Nr. 152. a. 1791.

⁷⁹⁾ Quam sic dicunt *accommodandi se* rationem, audentius Christo tributam Apostolisque, iamque paene detritissimam, primo inductam aut frequentatam esse, constat, a b. Semlero, viro ob tantum

Quem posteriorem interpretandi et conciliandi modum, nouum plane, necdum auditum, prae caeteris probatum vult vir ven. I. C. R. *Eckermann* ⁸⁰).

Atqui

tum laborum studiorumque meritissimo, sed cui minus concessum erat, suis mente conceptis et placitis perspicuitatem, accuratam circumscriptionem et certitudinem satis probatam reddere. Cuius autem rationis si veram quaesieris notionem, nihil ea incertius, nihil nebulosius; si vero talem qualem applicationem spectes, nihil, ut plurimum, peius, nihilque peruersius videas cogitesue. Vix deprehenderis quemquam, qui serio secum reputarit: qualis possit esse ista tantopere iactata accommodatio, in comparatione ad mentem Christi et Apostolorum; quatenus tribuenda hisce absque temeritatis metu, aut culpa. (Huic tamen necessitati occurrere voluit, et occurrit quodammodo et aliquatenus, H. F. Behn, V. C., scriptioe eximia: *Ueber die Lehrart Jesu und seiner Apostel*. (Lub. 1791.) Cf. *Eichhorn* l. c. Vol. III. Fasc. V. p. 920 seq. *Accommodate didum!* complures clamitant, quod pro viso aut ipsorum aut aliorum minus placet: quasi non placere hoc instar fundamenti esse posset aut deberet. Vndenam adeo compertum habeant, quae ore facti sunt Christus et Apostoli, quae data opera, studioque enixo, asseruerunt, eadem eos reprobasse animo aliter persuaso, id quidem nescio. Suone ex dissensu? at dissensus ipsorum non est illorum sensus aut assensus: an ex eo, quod ipsismet ita visum est? at nulla est in tali quaestione visorum quorumlibet ratio.

⁸⁰) v. *Theolog. Beyträge* St. I-III. Alt. 1791.

Atqui vtriusque dictae rationis si alterutra mihi, vel inuito quasi, optanda esset, equidem malle priorē illam, quam posteriorem: ut quae in recognoscendis Seruatoris et Apostolorum dictis minus certe difficultatis habere intelligatur, nec adeo diffiteri, quae tam clare, tamque certis verbis expressa videntur.

Posterior enim si constare sibi utcumque voluerit, non potest, quae dicta leguntur, non vertere aliorsum, quam quo ratio verior, sententiam alicuius loci definiendi, ferat.

Neque tamen vel ipsa potest vsque quae sibi constare; ne tum quidem, cum vellet sumere, non omnibus adeo et singulis, quae adsint, verbis insistendum esse, ut quae partim, et alicubi, ex mente magis scriptoris (v. c. Lucae Act. 2. 3 seq.), quam eius, quem sermocinantem is induxerit, prolata possint videri.

Hoc enim gratis omnino peteretur, vnum opinionationis eius in praesidium, et communem contra Christi pariter et Apostolorum consuetudinem: qualis quidem docet, non vnius fuisse, aut alterius, istum sentiendi modum, sed communem utique omnium

Sed quid cogit vel alterutrum sumere? videlicet aut *errasse* hic Christum cum Apostolis, aut *non ex animo*, ipsisque per-

persuaso, sed *simulando* quasi egisse, aliqua pro casu aut tempore interpretationis alienae specie assumta? Cur non aequè *vere* quam *sincere* locuti dicantur?

Illud *errasse*, sumitur magis, quod nefas, pro arbitrio, quam probatur: probatu enim difficillimum puto.

Hoc autem *alienam utcunque speciem prae se tulisse*, siue quod idem est, non pro se conuictos et persuasos, quae dixerint, dixisse, et tamen aliis voluisse persuadere, vera esse, quae dicerent, omnis religio vetat suspicari ⁸¹).

F 2

Qui,

⁸¹) Hoc quidem minus vult vir laudatus, quod non tacendum: at ratio sua, exactius perpensa, id cogit, atque inducit. Negando enim, Christum et Apostolos credidisse, vera extare de re sua (de veritate et ratione N. F.) vaticinia, fatendum tamen erit, eadem ipsis adhibita fuisse eo consilio, ut ab audientibus haberentur pro talibus: modo non suspecta sint, aut adulterina, quae huc pertinent, loca. Pro suspectis non habet v. v., nec etiam est, quod suspecta vel illo modo reddat. At incertum, quin falsum utique, iudicat consuetum adhuc ea interpretandi modum; eum, inquam, qui Christum, fert, atque discipulos fuisse de veritate rationis prophetae, ut ad se, suumque negotium, pertinentis, persuasos omnino, adeoque ita locutos. Atqui posito, falsam aut irritam esse hanc intelligendi et interpretandi rationem solitam, (qua tamen,

Qui, quaeso, potuerimus de Christi et Apostolorum animo, aut studio, recte iudicare, nisi dictis eorum certis, et indubitatis, fidem habuerimus? Quibus spretis, aut versis alio, quid restat, vnde sciamus, quid senserint illi, quid minus?

In recognoscendis autem, quae locuti sunt, nefas puto, vltro suspicari, non pro se conuictos dixisse, quae dixerunt, aut minus consilium fuisse illis dicendi id, quod dixerint oportet, si non nihil dixerint.

Seruatori vnquam accidisse, vt quicquam minus ex animo, aut contra ipsi persuasum, assereret, id ne vno quidem exemplo poterit euinci. Quod si posset, quis talis doctrinae salutaris auctor? Qui certam eius mentem atque compertam habuerimus vel in rebus grauissimis maximeque necessariis? Ne ore quidem vsi docente, quanto minus scripto de eo traditis

tamen, meo quidem iudicio, non facile verius quid, nec certius aut manifestius reperiat, nisi quidem velis, omnes eos, qui adhuc intellexisse sibi viderentur loca ista, hallucinatos esse, idque in recognoscendis dictis eiusmodi, quae quoad verba et sensum prouum, et per se obuium, planissima deprehenduntur: quod maxime omnium mirum esset.) Sequitur necessario, ipsos fecisse verba ista minus persuasos, et tamen voluisse cum ipsis ita videri, tum alios reddere, h. e. simulasse.

traditis habituri fidem. Ne mira eius facinora, ne reditus quidem in vitam, adiuuabunt quicquam, si mentis integritatem suspectam utcumque habuerimus; ni tantam in eo, et talem, agnouerimus, quantam praestiterit nullus vnquam mortalium, aut praestiturus sit, oris et animi concordiam. Hanc necesse est persuasam habuerimus, nisi velimus diffidendum eius, quam prae se tulit mentis paternae ἐξυψησεως certitudini, cuius quidem vni sibi facultatem asseruit.

At enim quod dicitur accommodandi se dicto, aut facto, ad alienos mores, sensus et placita, studium; id vel *proprii* adhibetur, vel *alieni* caussa commodi.

Illud versuti videtur animi; hoc non tam nobilis per se et valentioris, quam sagacioris utique, suamque ipsius imbecillitatem ad rerum ponderantis metientisque necessitates.

Illo modo de I. C. cogitasse, nefas omnino ac per se pugnans esset. Hunc autem quominus admittamus, vniuersa eius dictorum videtur actorumque ratio prohibere.

Non solum consistit tunc aetatis vel aduersantibus, eum verissimo duci animi studio⁸²⁾; sed conuenit etiam, talem διδασκαλον,

F 3

qui

⁸²⁾ Ita Herodiani eum compellabant apud Matthaeum

qui sentiendi pariter atque animi sensa verissime proferendi esset exemplo⁸³); quae simul potestate gauderet et virtute *diuina*⁸⁴), fuisse omnino tali, quale volunt, sese componendi studio, et animo et facto, eo superiorem. Id intelliget, qui studiosius considerabit, quo se modo habuerit Christus, pro re nata, et occasione quam diuersissima, docendo, ad quaesita respondendo, asserendo, negando, tacendo, increpando, refutando, suaque ipsius defendendo. —

Atque quo animo studioque ductum accepimus Christum quandocumque de sui negotii ratione a prophetis praedicta loquendo⁸⁵): eodem

um (22, 16): διδασκαλε, οίδαμεν, ότι αληθης ει, και την οδον της Θεου εν αληθειαις διδασκεις, και ε μελει σοι περι εδενουσ' ε γαρ βλεπεις εις προσωπον ανθρωπων.

83) Quam consilii diuini, vel mentis paternae, veritatem patefecit Christus, ea non Iudaeis tantum, sed aetatis et gentis cuiusque hominibus destinata erat.

84) Ραββι, οίδαμεν, ότι απο Θεου εληλυθασ διδασκαλος· εδεις γαρ ταυτα τα σημεια δυναται ποιειν, οι συ ποιεις, εαν μη η ο Θεος μετ' αυτου. Nicodemus apud Iohannem Ev. 3, 2.

85) Sive ante excessum, sive post reditum in vitam, id imprimis docendo, asserendoque, quicquid de se praedictum esset, id ratione quam vera, non aliena;

eodem Apostolos deprehendimus eadem repetisse, et, quavis data occasione (Act. 2 seq. 17, 3.), confirmasse studiosius.

Quos quidem tantum abest, ut in asserenda contra Iudaeos, causa sua, qualiacunque putemus verba fecisse, quasi alienis iis, vna specie ludentibus, putassent coargui posse aduersantes ac persuaderi; ut potius, quotiescunque appellarent V. T. tradita, ita eos constet appellasse, ut vel probarent inde res in facto positas, vel illustrarent sententias proprias ipsorum et singulares: eodem citatis adhibitis modo, quem rei cuiusque postularet propositae ratio, quemque non alienum vellent, nec adscititium, sed vel maxime verum et proprium⁸⁶).

F 4

Tota

aliena; diuinitus prouisa, non fortuita, nec vltro a se quaesita, in se et per se complendum, h. e. ad veritatem perducendum esse.

εχι η καρδια ημων ην καιρομενη εν ημιν, ως ελαλει — — και διηνευγεν ημιν τας γραφας, inquit duo isti Emmaunta profecti discipuli, quibus veram argumenti vaticini rationem dederat reclusam. Luc. 24, 25-27; 44-47. εχι ταυτα εδει παθειν τον χριστον; — — και διηρημηνευεν αυτοις εν πασαις ταις γραφαις τα περι αυτε· — — ειπε δε αυτοις· ετοι οι λογοι, ες ελαλησα προς υμας επι αν συν υμιν, οτι δει πληρωθηναι (vera fieri) παντα τα γεγραμμενα — — — τοτε διηνοιξεν αυτων τον νεν, τε συνιεναι τας γραφας κ. τ. λ.

⁸⁶) Omnia citata ab illis eiusmodi videntur, ut, quae lauda-

Tota autem viri laudatissimi ratio his duabus potissimum laborare videtur difficultatibus;

laudarent verba, ea ratione vel intellecta vel intelligenda vellent, quam res, et sententia propofita, per se exigeret et exprimeret. Hoc factum illis vel de *indicatis sententiis*, vel de *rebus in facto positis*. Illius generis exempla in Epistolis Paulinis frequentissima sunt. Ut, cum Romanis (3. 4.) scribit: *γινεσθω δε ο Θεος αληθης, πασ δε ανθρωπος ψευσης· καθως γεγραπται· οπως αν δικαιωθησεν εν τοις λογοις σς κ. τ. λ.* et v. 9-10. *προητιασαμεθα γαρ Ισραηλ τε και Έλληνας πατας υφ' αμαρτιαν εινα· καθως γεγραπται· οτι κκ εσιν δικαιοσ, κδε εις.* Istud: *καθως γεγραπται*: non sibi vult, vera esse, quae dicta, ob id, quod eadem V. in T. legantur scripta; sed quae, *ut per se vera, enuntiata sint*, illic iam scripta deprehendi, adeoque et posse illinc comprobari: eodem tamen modo accipienda erant, quem ratio citandi postularet. Quod aequè manifestum est, ac necesse omnino, ut si quis hominum aliquam sui sententiam laudatis alicuius verbis illustrare aut comprobare voluerit, nec alia is ab alio mutuatur dicta, quam vere exprimentia, quod exprimi oporteat; nec quae mutuatus fuerit, vertantur alio, quam ad sensum, quem postulat sententia, et ratio consilii. Sed de hoc minus dubii est.

Enimvero, cum res in facto positae alicuius scriptoris testimonio, siue historico siue prophetico, aut probandae sunt aut illustrandae, aequè necesse est, ut, cuius dictum vsurpetur, de re eadem verba fecerit, quam inde probari aut illustrari volueris, nec alio istud dictum posse aut debere

tibus: *una*, quod nec sibi satis, nec scripturae rationi, constet: *altera*, quod notiones complectatur, quae arbitrariae verius, quam, ad causam pertinere videntur.

Ad prius quod attinet, sumuntur ipsi haec, sumuntur illa, quae fieri simul non possint. Omnem negat vaticinationis *veritatem*, et tamen vult complura in vita Servatoris ita a Numine directa esse,

F s

debere intelligi modo, quam eodem, quem ipsam probandi vel illustrandi consilium exigat. Quod illic quoad sententiae *rationem*, idem hic quoad rei in facto positae *veritatem*, requiritur consensus.

Quare nulla videtur ratio, ob quam vir laudatus Christum, putat, et Apostolos in transferendo ad rem suam vaticinia, et ad haec illam referendo, non nisi dictionum, vel rerum descriptarum, *consonantias* spectasse qualescunque, quasi prophetae laudati de rebus longae aliis locuti essent; et, quod utrasque intercedat, allegatorum, dico, et rerum, ad quas illa translata sunt, rationes, id non magis inferre, quam quod dici utcumque possit, *dies reimt sich*: quae dicendi formula ipsi frequentata admodum est.

Quandocumque Christus de morte sua, de resurrectione, caet., tanquam rebus in facto positis, loquitur, asserendo simul, haec, ut praedicta a vatibus, ita non posse non euenire, ipsa ratio cogit, eum velle, istos euentus a prophetis re ipsa praesignificatos esse. Idem de Apostolis valet, quod facile demonstrari potest.

esse, vt ad notationes prophetarum, et vel ad falsas doctorum inter Iudaeos interpretationes, Christi aetate vsitatas, applicari possent.

Quo admissio, quaeritur: *unde* ille praedicta inter et applicata *consensus* tam facilis, tamque obuius? casu et forte exortus, temereue inductus; an a consilio, vel rationis diuinae veritate tradita, atque percepta?

Si quidem permulta Deus ad consensum istum *direxit*: vaticinia oportet respexerit: si autem respexit, quid prohibet, quominus Dei fuerit, studia prophetarum, a primis inde initiis, ita direxisse, vt posset aliquando, quae veritas esset a Deo prouisa, intelligi?

Deinde, Iesum vult vir doctus Christum siue *Messiam* esse, non ob id, quod vaticinia de eo prodita olim fuerint: sed quod, *se esse*, afferuerit ipse, Apostolique eandem vbique repetierint assertionem, id imprimis vno ore defendentes, *Iesum esse, in quem omnes V. T. vaticinationes protenderint, quique per vniuersam sacrae institutionis prioris rationem praemunitus fuerit.*

Quamuis

Quamuis vere dictum, Iesum non esse Messiam ob *praedictiones* de eo factas, potuit tamen, *qui praedictus erat*, esse: de hoc quaeritur, non de illo. Hoc autem, videlicet, se esse eundem, non alium, ipse asseruit: certe ob propriam ipsius, aut alienam discipulorum, assertionem, esse nec potuit, nec etiam debuit. Siquidem nemo est is aut talis, quem aut qualem se profiteatur, nisi probet eius, quod se professus fuerit, veritatem, idque ratione propria idoneisque argumentis.

Atque si, eodem consente, Christus, quod probandum erat, diuine factis et reditu in vitam *probauit*, haec probatio facta est non nisi ad confirmandum id, quod de se identidem professus erat (eodem certe pertinuit): scilicet se esse, quem Deus promittendum, cuiusque res praesignificandas, curasset.

Iamque, si totum V. T., ex Apostolorum, quam concedit vir doctus, sententia, ad Christum utique spectauit, resque eius praeparauit, id ipsum quaeritur: *cuius vi et potestate, quo volente, quo providente, instituta ista praeparatio?* Matth. 21, 25. Si diuinitus, vatibusque ministrantibus, hi certe

certe praestiterint, quod Christus illis, quod discipuli tribuerunt, necesse est.

Totane *Messiae* idea gentilis fuerit *): de eo minus quaeritur, quam, quae eius ratio, quae *veritas* fuerit. Hac probata, modo quidem vero, et consilii diuini proprio, vel ipsam illam, necesse est, non casu fuisse, aut forte, exortam, sed factam eius copiam diuinitus, eandemque a veritate negotii, quod Christo gerendum in terris erat, non tantum non alienam, sed eidem vel maxime iunctam.

At si vatum ista visa et optata, ex v. v. sententia, ultra ciuilem imperitantem non sapiunt, dominium capeffurum vnice terrenum; eadem tamen, duce I. C., ad summi finis veritatem perducta sunt, quod ipsemet haud diffitetur ⁸⁷⁾: qui fieri et hoc et illud *una* potuit, nullo extante tali rerum illarum sine a Deo habito, et ipso eodem, quem designauit Seruator, repugnante prophetarum et rationi et consilio?

Quod

*) *Localem* vocat vir laudatus, quod dudum fecerat Semlerus.

⁸⁷⁾ v. Fasc. II. p. 219-220.

Quod autem, vti iam diximus, ea, quam ⁸⁸⁾ interpretandi proposuit v. v., ratio vel ipsi proposito minus conueniat, nec vlllo modo sufficiat, id, ne plura dicam, iam exinde manifestum erit, quod, adhibito, necesse est, saepenumero sumi simpliciter, et sponte praeiudicari, quae non nisi verborum potestate inuita, et rationis nexu plane repugnante, possint sumi et praeiudicari.

Sic, v. c., Act. 2, 25 seq. in oratione Petri ad Iudaeos, vbi docere vult Apostolus, non potuisse Dauidem de semet ipso dicere, quae Psalm. XVI. legantur, dictiones illae: *προφητησ ΟΥΝ υπαρχων, και ειδωσ, οτι ορκω αμοσεν περιδων ελαλησε*, simpliciter respuunt istum, quem inducit v. d., sensum.

Nam *περιδων*, hoc orationis nexu, non aliud dicit, quam, qua ductus spiritu prophético: at minime, *vel quasi spiritu ductus vaticino fuisset*: quod voculae *εν* et *ε γαρ* (v. 30. 34.) non solum, sed toto orationis ratio atque consilium poscit orantis.

Nec

⁸⁸⁾ Popularem dicit v. d.; quo vocabulo nihil proficitur, nihil definitur, nec euincitur quicquam eius, quod res est.

G

Nec minus laborant, quin sponte ruunt, quae v. v. super grauiſſimum orationis Seruatoris argumentum tentat ⁸⁹⁾; et quae infert ad perſuadendum ⁹⁰⁾, Iſaiae cap. 53. Chriſti et Apoſtolorum aetate minime fuiſſe de Meſſia intellectum ⁹¹⁾.

Sed his miſſis, hoc tantum monere lubet, *totam rationem*, cuius neglexit v. v. plenam exponere notionem accuratius definitam, et circumſcriptam ⁹²⁾, *fundamento nititur minus firmo, ſed pro ſe labente.*

Namque

⁸⁹⁾ Ap. Luc. Év. 24, 25-27; 44-47. *Faſc. II.*
p. 213. 215. 217 ſeq.

⁹⁰⁾ *ibid.* p. 209.

⁹¹⁾ v. ſupra not. 18, et *G. Leß*, v. v., *über die Religion, ihre Geſchichte etc.* Vol. II. p. 682.

⁹²⁾ Hinc factum adeo videtur, quod viri acutiores de eadem modo paene contrario pronunciarent. Iudice *Eichhornio*, V. C., (Bibl. III. pag. 64.) auctoris ſententia haec eſt, quam *accommodationis* dicant, rationem ad vniuerſitatem omnino dictorum ſingulorum quorumcunque de V. T. in N. adhibitorum pertinere. At alio cenſente v. d. (Allg. L. Z. Nr. 125. de a. 1791.), eadem id habet proprium, vt repugnet rationi non tantum typicae, ſed et accommodationis cuiusque. *Der Verfaſſer entfernt ſich alſo nicht nur*
von

Namque omnis ea hoc quasi cardine vertitur, quod *primo* sumit minime sumendum, prophetas non nisi terrena, in hac caussa, sapuisse: cuius contrarium facile doceat, qui scripta eorum rite, et vndiquaque, considerat.

Deinde postulat talem de Christo vaticinationem, quae singula vitae Christi momenta, et totius negotii eius (operis salutaris), ita descriptas prodidisset rationes, vt homines aetatis illius qualescunque intellectas eas, ni habuerint, certe possent habere. Quae tamen irrita omnino postulatio videtur.

Equidem largior, nos *Christi rationem melius habere cognitam*, quam vel Iesaiam,

G 2

saiam,

von allen typischen Deutungen, sondern selbst von dem schlüpfrichen Nothbehelf der Accommodationen, wornah das N. T. an sich grundlose, nur localbrauchbare Beweise dieser Art aus dem A. T. unter dem Anschein ächter Ueberzeugungsgründe hergeleitet haben soll.

Sed quam popularē ipse auctor dixit rationem, non alia esse potest, quam illa *accommodationum*: qua quidem illo modo admitta, ipsa eadem, velut fato quodam ineuitabili, inducuntur, quae tanto praesidio auerti oportebat; nimirum *an sich grundlose, nur localbrauchbare Beweise, unter dem Anschein ächter Ueberzeugungsgründe.*

salam, vel qualemcunque prophe-
tarum: at nego, inde sequi, quod nulla
fuerit praedictionum ratio ad I. C. tendens;
simpliciter autem nego, fas esse, postulari id,
quod aut per se pugnet, aut, etsi cogites a
parte Numinis concedi potuisse, facile tamen
intelligitur, vero vaticinandi fini minus con-
uenisse.

De re tanta spem concedi, ali, produci,
augeri; id, pro aetatis cuiusque ratione, et
conueniens erat prophetarum opera praestari,
et praestitum utique est. At vitae Seruatoris
accuratius descriptae cognitio, ante ipsos rerum
euentus, non magis desiderabatur⁹³⁾, quam
verae

⁹³⁾ Nec tamen defuere viri doctrina simul et iudi-
cio praestantes, quibus *Iesaias* in iis, quae de
Messia prodidit, tot tantaque vitae Christi mo-
menta, tamque clara in luce posita, videretur
dedisse, vt perspicuam rei gestae potius, et vn-
diquaque certam, narrationem, quam vaticina-
tionem eundem arbitrarentur proposuisse, vo-
candum ob id quintum quasi Euangeli-
stam. *Se tombe*, inquit Ch. Bonnet, vir phi-
losophus, (in *Paling. Philos.* P. XX. Oeuv.
Tom. XVI. pag. 372-373.) Sur un écrit, *)
qui me jette dans le plus profond étonnement. Je
crois y lire une histoire anticipée et circonstanciée
de l'ENVOIÉ: j'y retrouve tous ses Traits,
son Caractère, et les principales Particularités de sa

verae rationis rerum, ab ipso gestarum, prae-
finitio vaticina: quam eo minus fieri potuisse,
aut debuisse, cogitemus, quod, quam diui-
nam Patris prae se tulit Christus, oreque et
facto probavit, rationem, ea non aliunde,
quam ex ipsis demum rebus, a Christo ge-
rendis, vere percipi, et percepta poterat
prodesse.

Sed fatis dictum videtur de ista ratione.
Quam intactam omnino ob propositum relin-
quere nequivi, quoniam docendum erat,
quam

*sa vie. Il me semble, en un mot, que je lis la
Déposition même des Témoins. Je ne puis déta-
cher mes yeux de ce surprenant Tableau: quels
traits! quel coloris! quelle expression! quel ac-
cord avec les Faits! que dis-je? ce n'est point
une peinture emblématique de l'avenir fort éloigné;
c'est une représentation fidèle du présent: et ce qui
n'est point encore, est peint comme ce qui est — —
Et G. Less, v. v., post expositam illam Iesiae
vaticinationem, monitisque suis illustratam (l. c.
Vol. II. p. 682.), haec verba audet: *wer glaubt
hier nicht mehr einen Evangelisten des N. T., als
einen Propheten des A. zu lesen?**


*) Esaie 53. Esaie ou Isaie, de la Race Roya-
le; le premier des quatre grands Prophe-
tes. Il prophétisoit environ sept siècles
avant notre E're. On a dit avec raison
de ce Prophete qu'il étoit, en quelque
sorte, un cinquieme Evangeliste.

quam sequuntur s. scriptores, in comparando V. et N. T. argumento, vel vniuerso, vel singulari eo, quod illius *Messiam*, huius autem Christum, spectat, eam placitorum nouissimorum discrepantia, per se, haudquaquam incertam reddi, irritamue, aut suspectam vtcunque, aut ita popularem videri, vt nihil veri insit.

Errata.

Pag. 9. lin. 1. not. 3. loco femicoli post Eichhornium ponatur comma. pag. 19. lin. 12. inter ante et rebus pon. comma. Pag. 23. lin. 9. post tule-
 ris pon. comma l. femicoli. Pag. 23. lin. 8. not. 21. scriptiunc — corr. in scriptiunc.
 Pag. 25. lin. 9. not. 24 leg. aequae, non aequae.
 Pag. 28. lin. 1. isti et qua corr. in istorum et qui.
 Pag. 33. lin. 2. not. 33. προφητειαν corr. in προφη Pag. 34. lin. 13. ευαγγελιζαντες corr. in ευαγγελιζοντες. Pag. 36. lin. 19. inter propriam et conceptam scrib. adeo. Pag. 36. lin. 23. pro rationis pon. doctrinae. Pag. 38. lin. 8. pro praecularum pon. praelularum.
 Pag. 40. lin. 3. not. 39. pro cepeffendum pon. capeffendum. Pag. 43. lin. 3. not. 41. regionis pro religionis. Pag. 43. lin. 28. not. 41. ea pro eae. Pag. 44. lin. 3. not. 41. pro similitudinem pon. similitudinum. Pag. 44. lin. 1. not. 42. pro וְלִחְסֹאתָם pon. וְלִחְסֹאתָם et pro זְכוּר pon. זְכוּר Pag. 45. lin. 1. not. 42. pro יִסְכִּיל pon. יִסְכֹּר.
 Pag. 51. lin. 19. pro iampridem pon. vt iampridem. Pag. 51. lin. 22. cuiosum pon. curiosum.
 Pag. 56. lin. 8. not. 57. pro יִכּוּל וְכֹל pon. יִכּוּל וְכֹל Pag. 56. lin. 14. not. 57. pro πῖνα pon. τῖνα. Pag. 57. lin. 11. not. 60. pro μερῶν pon. μερῶν. Pag. 58. lin. 7. not. 64. delet. ceu. Pag. 61. lin. 6. pro χριστος pon. χριστ. Pag. 61. lin. 14. pro χριστ pon. χριστον. Pag. 62. lin. 1. delet. comma post his. Pag. 70. lin. 4. ab infr. pro in-
 stitutiōni pon. institutiōni. Pag. 73. infim. lin. siue pon. sine. Pag. 80. lin. 1. delet. liticis paedagogicis. Pag. 84. lin. penult. not. pro ipfas pon. ipsos. Pag. 86. lin. 6. delet. eo. Pag. 93. lin. 8. pro rationis pon. orationis. Pag. 93. lin. penult. pro toto pon. tota. Pag. 94. lin. 4. not. 92. est seq. comma corr. in est; Pag. 96. lin. penult. not. 93. pro se pon. fes.

1. Einleitung 1
 2. Das erste Buch 10
 3. Das zweite Buch 25
 4. Das dritte Buch 45
 5. Das vierte Buch 65
 6. Das fünfte Buch 85
 7. Das sechste Buch 105
 8. Das siebente Buch 125
 9. Das achte Buch 145
 10. Das neunte Buch 165
 11. Das zehnte Buch 185
 12. Das elfte Buch 205
 13. Das zwölfte Buch 225
 14. Das dreizehnte Buch 245
 15. Das vierzehnte Buch 265
 16. Das fünfzehnte Buch 285
 17. Das sechzehnte Buch 305
 18. Das siebzehnte Buch 325
 19. Das achtzehnte Buch 345
 20. Das neunzehnte Buch 365
 21. Das zwanzigste Buch 385
 22. Das einundzwanzigste Buch 405
 23. Das zweiundzwanzigste Buch 425
 24. Das dreiundzwanzigste Buch 445
 25. Das vierundzwanzigste Buch 465
 26. Das fünfundzwanzigste Buch 485
 27. Das sechsundzwanzigste Buch 505
 28. Das siebenundzwanzigste Buch 525
 29. Das achtundzwanzigste Buch 545
 30. Das neunundzwanzigste Buch 565
 31. Das dreißigste Buch 585
 32. Das einunddreißigste Buch 605
 33. Das zweiunddreißigste Buch 625
 34. Das dreiunddreißigste Buch 645
 35. Das vierunddreißigste Buch 665
 36. Das fünfunddreißigste Buch 685
 37. Das sechsunddreißigste Buch 705
 38. Das siebenunddreißigste Buch 725
 39. Das achtunddreißigste Buch 745
 40. Das neununddreißigste Buch 765
 41. Das vierzigste Buch 785
 42. Das einundvierzigste Buch 805
 43. Das zweiundvierzigste Buch 825
 44. Das dreiundvierzigste Buch 845
 45. Das vierundvierzigste Buch 865
 46. Das fünfundvierzigste Buch 885
 47. Das sechsundvierzigste Buch 905
 48. Das siebenundvierzigste Buch 925
 49. Das achtundvierzigste Buch 945
 50. Das neunundvierzigste Buch 965
 51. Das fünfzigste Buch 985



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

TIFFEN Color Control Patches © The Tiffen Company, 2007

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
Light Blue	Light Cyan	Light Green	Light Yellow	Light Red	Light Magenta	White	Light Purple	Light Gray
Dark Blue	Dark Cyan	Dark Green	Dark Yellow	Dark Red	Dark Magenta	White	Dark Purple	Dark Gray

